Date Due

7 Jun 63			

DE PHAEDRI SERMONE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM IN ACADEMIA PHILIPPINA MARPURGENSI ORDINE RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HANS VON SASSEN

REMSCHEIDENSIS (BORUSSUS)

MARPURGI AD LANUM

a. MCMXI.

Dissertatio referente Theodoro Birt ab amplissimo philosophorum ordine adprobata die XII. mensis Februarii a. MCMX.

Quamquam dubium non est quin magnam habeat delectationem deditum esse studio eorum scriptorum quos in numero optimorum et praestantissimorum habemus, tamen voluptatem quandam affert hominum parvi ingenii operibus dare operam, praesertim illorum qui vixerunt eis temporibus, quibus sermo cottidianus magis magisque labi incipit.

constat summum poeseos culmen Augusto regnante, quo tempore lingua Latina suam consecuta est perspicuitatem et varietatem, plurimum contulisse ad sermonem scriptorum qui postea floruerunt, quia sermonem scriptorum optimorum inferioris notae scriptores exemplar ad imitandum sibi proponere solent, cuius imitationis conscii erant qui ea uti non verebantur. ita stilus talium operum, si omittimus id quod eorum est proprium, mirum in modum compositus est partim ex manifestis linguae Latinae labentis vestigiis, partim e scriptorum clarissimorum imitationibus, quae quasi lumina sermoni impositae sunt.

quae respicienda sunt, si Phaedri sermonem iudicare conamur, de quo disputare mihi propositum est.

Phaedrus ipse narrat se natum esse in Pierio monte[1]); eundem puerum in Italiam deportatum venisse concludi posse videtur e fabularum libri tertii epilogi versu

33 *ego quondam legi quam puer sententiam*
palam mutire plebeio periculum est[2]).

incertum est quo natus sit anno[3]); sed quia appellatur libertus Augusti[4]) et quia in fabulis nominantur et Divus Augustus (3, 10, 39) et Tiberius (2, 5, 7) et Seianus (3 prol. 41), apparet hunc poetam in eam incidisse aetatem quae appellatur argentea. quis igitur miretur apud Phaedrum locutiones inveniri quae inusitatae sunt apud optimos scriptores? cuius rei causa nonnunquam repetenda est ex

---

[1]) 3 prol. 17 *ego quem Pierio mater enixa est iugo.*

[2]) qui Ennii versus citatur apud Festum s. v. mutire ita: *palam mutire plebeio piaculum est.* periculum, quod legitur in Phaedri libris, aut lapsus memoriae scriptoris aut glossema scribae videtur esse.

[3]) Havetus statuit quod veri non dissimile puto Phaedrum ut Senecam perpaucis a. Chr. n. annis in lucem editum esse (Phaedri fabulae Aesopiae, Parisiis 1895, pag. 259).

[4]) nescimus utrum hoc pertineat ad Octavianum an ad Tiberium.

Latinitate labente; nam omnibus et solutae et devinctae orationis scriptoribus qui post aevum Augusteum fuerunt vitia adhaerent quibus intacti sunt scriptores elegantissimi.

Phaedrum, quamquam servus fuit, tamen non ignarum fuisse verae genuinaeque Latinitatis facile intellegi potest, quia ei assiduus erat convictus cum incolis domus Augustae. cottidiani quoque sermonis eum peritum fuisse perspicuum est pro ordine humili quo versabatur.

in numero clarissimorum poetarum Phaedrus certe habendus non est et erat omnino pusillum ingenium. quae cum ita sint, quamquam dixit 4, 7, 1

tu qui nasute scripta destringis mea

tamen non deterremur quominus eius sermonem in censum vocemus.

Jam diu versabantur viri docti in iudicando Phaedri sermone. fuerunt qui Phaedri antiquitatem in dubium vocarent, quia multa cum temporibus quibus ille poeta floruisse dicitur non congruerent; quae sententia praecipue defendebatur a viro doctissimo Lipsiensi Christ,[5]) qui operose cumulavit argumenta adversus fidem librorum Phaedri, quorum argumentorum erat gravissimum has fabulas esse saepe barbaras et minus latinas[6]); itaque recentiori cuidam scriptori[7]) has fabulas tribuendas esse censuit. sed habemus nunc libros fabularum Phaedri qui prius scripti sunt quam Perottus ille vixit qui has fabulas interpolavisse dicebatur. nostra his temporibus nihil interest huius controversiae, quamquam Christii sententia similibus argumentis similique cum eventu nostra aetate defendebatur ab Edélestand du Méril[8]). quae vero ab illis viris doctis contra

[5]) J. Fr. Christ, prolusio de Phaedro eiusque fabulis, Lips. 1746.

[6]) ad hanc sententiam confirmandam Christius etiam minimas conquisivit res quas Funccius Marburgensis convicit (Joh. Nicol. Funccii Marburgensis pro Phaedro eiusque fabulis apologia, Lips. et Rint. 1747). deinde acerrima orta est contentio; Christius respondit in libello: de moribus simul de Phaedro eiusque fabulis uberior expositio, Lips. 1747.

[7]) Nicolao Perotto pontifici (XV saec.).

[8]) Edélestand du Méril, poésies inédits du moyen âge précédées d'une histoire de la fable Esopique, Parisiis 1854. hic vir doctus iisdem fere argumentis quibus Christius probare conatus est has fabulas quamquam non interpolatas, tamen Romae antiquis temporibus in scholis quasi exercitationes discipulorum e Graeco sermone quo usum esse Phaedrum censuit in sermonem Latinum translatas esse, quam sententiam accurate atque penitus revicit Hervieux (les fabulistes Latins, editio altera 1894 tom. I pag. 178 sqq.).

Latinitatem Phaedri sermonis dicebantur mihi gratissima occurrunt, quamquam multa quae protulerunt alia explicari debent ratione.

bene meruerunt de Phaedro Burmannus[9]) et Schwabius[10]), qui textui perpetuum subiecerunt commentarium, ex quo magnam cepi utilitatem. Schwabius hoc fecit iudicium de Phaedri sermone[11]): *stilus Phaedri quem non pauci Terentiano similem esse statuerunt, est multis locis tenuis, saepius mediocris, non raro etiam assurgit, maxime in prologis et epilogis, est naturalis et si a paucis discesseris, purus, perspicuus, brevis.* idem altero loco[12]): *inprimis rationem Latinitatis Phaedri habui, adeo ut non solum elegantiam et vim verborum, aeque ac Latinitatem ostenderem, et ex aliis priscorum scriptorum locis illustrarem et vindicarem; verum etiam quae sunt in Phaedro singularia, nec non idiotismos, proprietatem denique linguae Latinae, varietatem et copiam accurate[13]) ostenderem.*

cui iudicio aliorum opponimus sententias.

Bernhardy[14]) de Phaedro iniquum tulit iudicium: *Der Vortrag ist einfach kurz und klar, aber trocken und unbelebt; der Ton sehr prosaisch, ohne Reiz und Anmut (pag. 662). An der Sprache befremdet oft ihr gemeines Gepräge, sie leidet an Ungleichheit und Idiotismen. — Mit dem dritten Buch wächst die Flachheit der Rede, noch empfindlicher mangeln Eigentümlichkeit und Plastik. — Phädrus ist der Nepos der Poesie, einer der wenigen Darsteller in dem uns nicht sehr zugänglichen sermo familiaris (pag. 669). Diesem Fabulisten mangelt alle sinnliche Zeichnung; besonders aber missfällt die Häufigkeit der schlechten Phrasen und Wörter.*

contrariis fere verbis de eo iudicat Teuffel[15]): *Die Darstellung ist fliessend, ... die Sprache rein, ... Phädrus erfreut durch sachgemässen, knappen anmutigen Vortrag und schlichte natürliche Sprache, welche sich namentlich vom rhetorischen Schwulst der Zeit weislich fernhält.*

---

[9]) Phaedri fabulae cum novo commentario Petri Burmanni, Leyd. 1727.
[10]) Phaedri fabulae, edidit J. C S. Schwabe, Brunsv. 1806.
[11]) ante editionem pag. 272.
[12]) ibid pag. 9.
[13]) in hoc accurate notando Schwabius saepe processit eo usque ut inutilia congereret.
[14]) Grundriss 5. Bearb. 1872.
[15]) Geschichte der römischen Literatur [5]1890 pag. 682.

de Phaedri sermone nuper disputavit Charles Causeret[16]), qui inprimis operam dedit observationibus grammaticis, quae ad meam quaestionem minus pertinent; ceterum Causeretus non omnia satis accurate exposuit et multa reliquit intacta, quae non nunquam supplere conati sumus agmen sententiarum claudat huius viri docti iudicium, cuius maxime intererat demonstrare Phaedri sermonem a multis aequalium vitiis esse vacuum: *quandoquidem nihil est in Phaedri oratione vitiosum quod non apud aequales reperiatur, multa vero sunt apud eos mendosa, quae nusquam in Phaedro reprehendas, puriorem aequalibus et emendatiorem eum habendum esse iam manifeso apparet* (pag. 91). *ex omnibus eis quae de Phaedri dicendi genere diximus consequitur, ut multa quidem in eo laudanda sint, multa vero reprehendenda. ideo laudibus dignus est, quod et brevi expeditoque sermone utitur et verba cum aptissime struit componitque tum prudentissime variat ac commutat et, ommissa ea quae tempore illo vigebat orationis affectatione, prisci iudicii salubritatem puram et sinceram servavit. obscuram vero aliquoties et contortam eamdem dictionem reperimus; tum eam in Phaedro exilitatem ieiunitatemque reprehendimus, ut eum et in narrando describendoque et in eloquentia frigidum, siccum, omnis coloris ac vitae expertem fere ubique invenerimus.* (pag. 17.)

quia virorum doctorum iudicia vel hodie in diversas abeunt partes[17]), ita ut alii in admiratione, alii in contemptu Phaedri sint nimii, et officium et potestatem habere nobis videmur disputandi denuo de Phaedri sermone.

talibus quaestionibus antecedere debet lectio emendata; sed quamquam a Burmanno usque ad Havetum multi viri docti maximam posuerunt curam in eo, ut textum darent quantum fieri potest emendatum, tamen multi versus sanari non posse videntur; omnes enim codices non solum admodum corrupti sunt, sed etiam nonnunquam interpolati esse videntur. immensum coniecturarum numerum novis augere non ausus, immo saepe librorum lectionem tuitus sum, quod a vulgata librorum lectione non nisi necessitate urgente recedendum esse existimo; saepe autem vitia librariorum lenissima mutatione tolli possunt.

---

[16]) de Phaedri sermone, dissert. Parisiis 1886.

[17]) confer iudicia Ribbeckii (Geschichte der röm. Dichtung 1892 tom. III), Mülleri (pag. VIII editionis maioris), Haveti (pag. 270 editionis).

in materiam meam ex parte converti editiones Burmanni, Schwabii, Davidii Hoogstratani[18], inprimis recentiores Luciani Mülleri[19] et Haveti[20]. secutus sum in numerandis fabulis Mülleri editionem maiorem.

addere oportet me non solum de quinque fabularum libris acturum esse, sed etiam de **appendice** quae dicitur **Perottina**; nam Phaedrum huius appendicis auctorem habendum esse his temporibus negari non potest[21].

ad extremum opus est me de Phaedri codicibus paulum dicere; qui de his rebus plura scire vult adeat editiones Mülleri Haveti aliorum.

textus fontes sunt:

1. codex Pithoeanus (P), in parte saeculi noni priore descriptus.

2 codex Remensis (R) eiusdem saeculi; qui incendio deletus est; notae sunt lectiones per multa testimonia.

3. charta Danielis (D), scripta saec. IX—X vel saec. XII ut Müllero videtur; quae continet libri I fabulas 11 – 13 et 17—21.

4. codex Neapolitanus (N), qui madore deletus vix legi potest; continet 32 fabulas Phaedri, 36 Avieni; praeterea 31 fabulas, quae dicuntur appendix Perottina.

5. codex Vaticanus (V), eiusdem sylloges Perottinae.

de **paraphrasibus Phaedrianis** quae non neglegendae sunt vide pag. XIV et XV editionis Haveti.

---

[18]) Amstel. 1701.

[19]) editio stereotypa in aedibus Teubneri 1867; editio maior cum apparatu critico, ibidem 1877.

[20]) Parisiis 1895; cuius editionis apparatus criticus est uberior quam editionis Mülleri.

[21]) vide Janellii in Perottinum codicem M. S. regiae bibliothecae Neopolitanae ... dissertationes tres, Neap. 1811; praeterea appendicem dissertationis Caussereti et Luciani Mülleri libellum De Phaedri et Aviani fabulis, Lips. 1875.

I.

DE FUNDAMENTO SERMONIS

Schwabius[1]) inter praecipuas Phaedri fabularum virtutes rettulit simplicitatem, et sane is qui Phaedri fabulis vel leniter imbutus est statim ac sine ullo labore fundamentum huius sermonis orationem prosam esse cognoscet. multa quin etiam plurima vocabula quae Phaedrus adhibet sumpta sunt e scriptorum pedestrium sermone. ex immensa exemplorum copia pauca attingo quasi in transitu:

1. **verba**: aggravare 3, 3, 13; succlamare 5, 1, 4; calumniari 1 prol. 5; criminari 3, 8, 10; incumbere in aliquid 3 prol. 22; recidere ad 3, 18, 15.

2. **substantiva**: inedia 2, 4, 23; calumnia 3 prol. 37; novacula 5, 8, 1; argutiae 4 epil. 3; fiscus 2, 7, 2; xystus 2, 5, 18; factio 1, 2, 4; sorbitio 1, 26, 5; donatio 2, 5, 22; aemulatio 2 epil. 7; dilatio 4 epil. 12; cogitatio 5 prol. 7; curatio 5, 7, 12; pernicitas 1, 9, 4; tenuitas 1, 12, 6; sanitas 3 epil. 35; 5, 7, 12; bonitas 4, 9, 8; sinceritas 4, 13, 3; iucunditas 4, 21, 21; mortalitas app. 2, 14; frugalitas app. 31, 2.

3. **adiectiva**: dissolutus 1, 2, 12; translaticius 5, 7, 24; inconveniens 3, 13, 6.

omnia haec vocabula vix reperies apud poetas nec minus apud eos inusitatae sunt hae **locutiones**:
luctum habere 1, 12, 15; ad perniciem devocare 1, 20, 2; 3, 5, 2; consilium vertere ad 1, 31, 5; offundere terrorem 2, 4, 11; hoc pertinet ad 3, 2, 7; consociare usum alicuius rei cum aliquo 4, 11, 21; cuniculos agere 4, 21, 2; in me cadit aliquid app. 8, 24.

scilicet quia fabularum genus saepe pertinet ad res cottidianas quae in carminibus tangi non solent, non mirum est quod Phaedrus vocabula adhibuit quae vitantur a poetis. huc praecipue referendae sunt voces ac locutiones quae sumptae sunt e certis sermonis regionibus ut **rusticorum**:

---

[1]) tom. I pag. 270.

porcellus 2, 4, 15; bubile 2, 8, 4; bubulcus 2, 8, 12; app. 26, 2; vilicus 2, 8, 13; praesepe 2, 8, 22; stramenta 2, 8, 23; pullus gallinaceus 3, 12, 1; sterquilinum 3, 12, 1; furfur 4, 19, 4; scropha app. 17, 1; mola app 19, 3.

venatorum:

excitare 2, 8, 1; venatores 2, 8, 2;

iudicum:

iurgii causam inferre 1, 1, 4; attestari 1, 10, 3; iudex sedit inter 1, 10, 6; causam perorare 1, 10, 7; dicere sententiam 1, 10, 8; advocare sponsum 1, 16, 1; rem expedire 1, 16, 2; dies advenit 1, 16, 7; luere poenas 1, 17, 1; citari testis 1, 17, 4; damnari falso testimonio 1, 17, 6; quod non debebat solvit 1, 17, 7; poenas pendere 1, 27, 6; pertrahere 3, 10, 35; adiuvare iurisiurandi fidem 3, 10, 40; lis ad forum deducta est 3, 13, 3; legem proponere partibus 3, 13, 5; sententiam proferre 3, 13, 13; heredem facere sub condicione ut... 4, 5, 8; testamenti sensus 4, 5, 19; fidem advocare 4, 5, 20; circumcidere testamentum 4, 20, 25.

civium:

florere aequis legibus 1, 2, 1; civitatem miscere 1, 2, 2; conspiratis factionum partibus 1, 2, 4; advocare contionem 1, 14, 3; principatum commutare 1, 15, 1; de principatu certare 1, 30, 5; regem creare icto foedere 1, 31, 8; exercere imperium 1, 31, 12.

quae sufficiant exempla ad probandam sententiam electa fundamentum sermonis Phaedri esse orationem prosam. nec solum in singulis vocabulis, sed etiam in totis fabulis interdum vix reperies quicquam quod altius assurgat ad poetarum elegantiam, exempli causa legas quaeso fabulas 5, 10, 14, 15, 16, 17, 20, 22, 25 libri primi, ut silentio alias praeteream librorum aliorum quid mirum? Phaedrus narrat fabulas, quod genus dictionis sermonem postulat simplicem secundum eius naturam; nam v u l g a r i s d i c e n d i r a t i o m a g i s c o n v e n i t fabulis quam stilus sublimis; laudamus igitur Phaedrum non aspernatum esse hanc t e n u i t a t e m et m e d i o c r i t a t e m; in quam optime quadrant v e r s u s s e n a r i i qui facile ad orationem prosam relaxari possunt, quia hoc metri genus a naturali sermone quam minime recedit; parcius occurrunt versus, in quibus vitat Phaedrumus verborum ordinem naturalem.

II.

QUOMODO ASSURGAT SERMO.

a) Vidimus fundamentum sermonis Phaedri esse orationem prosam, id quod eis quae supra de stilo humili Phaedri protulimus satis probari potest; sed nonnunquam hic sermo qui primo sine ullis ornamentis videtur esse, assurgit e siccitate ad elegantiam. iam Schwabius (tom. I. pag. 265) inter virtutes quae conspicuae essent in Phaedri fabulis inprimis laudavit **brevitatem et verborum et rerum.** cuius brevitatis causa vocabula quae sunt *inquit*, *respondit* in oratione recta saepissime omittuntur (I 1, 6; 3, 12; 9, 8; 11, 12; 15, 7; 16, 4; 21, 10 et multis locis ne copiosius colligamus exempla); egregium invenitur exemplum in fabula septima libri tertii:

unde hoc amice? — nil est. — dic quaeso tamen. —
quia videor acer . . . . (v. 17—18).
sic sine labore venter impletur meus. —
age abire si quo est animus est licentia?
non plane est inquit. — fruere quae laudas . . . (v. 24 — 26).

ex eadem causa **omittuntur pronomina demonstrativa:**

1, 4, 5 *aliamque praedam ab altero ferri putans eripere voluit* . . ; scilicet eam; similia saepe:

1, 18, 1 *nemo libenter recolit qui* [eum] *laesit locum*
2, 5, 6 *pretium est operae attendere* [id]
2, 6, 14 *inducta verbis* [eius]
2, 8, 13 *nemo animadvertit* [eum]
3, 2, 5 *nemo laederet* [eam] .

brevitatis exemplum optimum habes in fabula IV 19:
vetat dimitti magnus illos Juppiter.
mirati sibi legatos non revertier
turpe aestimantes aliquid commissum a suis
post aliquod tempus alios adscribi iubent.
rumor legatos superiores prodidit.
timentes rursus aliquid ne simile accidat
odore canibus anum sed multo replent
[sequitur versus desperatus]

abeunt. rogantes aditum continuo impetrant.
consedit genitor tum deorum maximus
quassatque fulmen. tremere coepere omnia.
canes confusi, subitus quod fuerat fragor
repente odorem mixtum cum merdis cacant . . .

item non singula exsecutus est, sed necessaria una significavit voce in his versibus:

1, 1, 13 *atque ita correptum lacerat iniusta nece*
1, 22, 9 *atque ita locutus improbam leto dedit*
4, 4, 9 *atque ita coegit frenos invitum pati*
2, 7, 8 *subito latrones ex insidiis advolant*
interque caedem ferro mulum trucidant
4, 18, 3 *vexata saevis navis tempestatibus*
inter vectorum lacrimas et mortis metum,
faciem ad serenam subito ut mutatur dies . .

Phaedrus ipse hanc brevitatem sibi laudem vindicat nonnullis locis

2 prol. 12 *si rependet illam brevitas gratiam*
3, 10, 59—60 *haec exsecutus sum propterea pluribus,*
brevitate nimia quoniam quosdam offendimus.
3 epil. 8 *brevitati nostrae praemium ut reddas peto.*
4, 5, 1—2 *plus esse in uno saepe quam in turba boni*
narratione posteris tradam brevi[1]).
4, epil. 7 *si non ingenium, certe brevitatem adproba.*

b) In numero virtutum conspicuarum in Phaedri fabulis maxime habenda est **sermonis varietas.** varietatis causa enim in eadem fabula rebus iisdem diversa imponit nomina; quod ut assequeretur operam dedit stilo elatiori. exempli causa in fabula secunda libri primi *ranae* (10), *illis* (13), *pavidum genus* (15), *singulas* (25), *inertes* (26), *adflictis* (27) idem significant; atque in eadem fabula eleganter commutat *paludibus* (10), *vadi* (14), *limo* (16), *stagnum* (17); praeterea *a Jove* (11), *pater deorum* (13), *deus* (28). optime mobile ranarum genus describitur his contrariis verbis: *clamore magno regem petere a Jove* (11), *alium rogantes regem misere ad Jovem* (22), *furtim igitur dant Mercurio mandata ad Jovem* (27). denique nota varietatem et elegantiam in his verbis contrariis: *pavidum genus* (15), *turba petulans* (20), *inertes* (26).

notabile exemplum praebet fabula quarta libri II:
aquila in sublimi quercu nidum fecerat

---

[1]) sed haec narratio non brevis est; habet enim 49 versus.

feles cavernam nancta in media peperat
sus nemoris cultrix fetum ad imam posuerat.

in eadem fabula proles appellatur septem vocabulis: fetus (3), progenies (10), nati (13), tener grex (14), porcelli (15), proles (19), catuli (24).

sed non eadem ubique est poetae cura[2]); nam in libris tertio quarto quinto Phaedri vix iam intererat hanc elegantiam assequi.

Variatio invenitur in eis quoque verbis quae coniungunt sententiam fabulae cum fabula ipsa; qua in re multis usus est formulis, sic:

1, 1, 14—15 *haec propter illos scripta est homines fabula*
qui fictis causis innocentes opprimunt.
1, 2, 9 *Aesopus talem tum fabellam rettulit.*
1, 3, 3 *Aesopus nobis hoc exemplum prodidit.*
1, 5, 2 *testatur haec fabella propositum meum.*
1, 7, 2 *hoc illis dictum est . .*
1, 9, 1—2 *sibi non cavere et aliis consilium dare*
stultum esse paucis ostendemus versibus.
1, 10, 3 *hoc adtestatur brevis Aesopi fabula.*
1, 15, 3 *id esse verum parva haec fabella indicat.*
1, 19, 1-2 *habent insidias hominis blanditiae mali,*
quas ut vitemus versus subiecti monent.
1, 22, 10 *hoc in se dictum debent illi agnoscere.*

similiaque plura; sed hanc quoque elegantiam Phaedrus neglexit in ultimis libris.

c) Saepe nominibus animalium apposita quaedam addita sunt, quae ad sermonem ornandum partim sunt posita, partim animalis naturam proprio enuntiant adiectivo. in his appositis admiranda est praeter miram varietatem elegantia verborum. C. Ulbricht recte adnotavit[3]): *e variis his epithetis nova substantiva ad animalia denotanda procreata sunt.* ita etiam ex iis adiectivis quae Phaedrus adhibet pauca vim nominis substantivi consecuta sunt; de qua re infra tractabimus.

---

[2]) memorandi sunt hic quoque versus 1, 24; 4, 6, 9. — 1, 19; 3, 6, 8. — 1, 19; 4, 5, 9. - 1, 8; 6, 10, 12. — 2, 5; 7, 14, 19, 23. — 2 epil. 8, 10, 12, 13, 15. — 3, 3; 8, 11, 16. —

[3]) in dissertatione de animalium nominibus Aesopeis, Marb. 1908, pag. 62.

sic **asinus** appellatur naturae dedecus[4]) 1, 21, 11; ignavus sanguis 1, 29, 11; ille insolens 1, 11, 12; auritulus 1, 11, 6; similia saepe:

agnus nominatur laniger 1, 1, 6.
aper insidiosus 2, 4, 9.
boves quieti 2, 8, 15.
canis calumniator 1, 17, 2. acer 3, 7, 18. latrans senex 5, 10, 7. dentatus app. 24, 3.
cicada garrula 3, 16, 10.
ciconia peregrina volucris[5]) 1, 21, 11.
cornix odiosa app. 24, 1.
corvus ales pessimus app. 21, 11.
equus sonipes 4, 3, 3.
graculus tumens inani superbia 1, 3, 3.
hircus barbatus 4, 9, 10.
lupus latro 1, 1, 4. pectus improbum[6]) app. 17, 4.
musca contempti generis animal improbum 5, 3, 8.
ranae genus pavidum 1, 2, 15 (sic columbas genus inerme 1, 31, 6), turbam petulantem 1, 2, 20; inertes 1, 2, 26; stagni incolas 1, 6, 16.
ovis patiens iniuriae 1, 5, 13; bidens 1, 17, 8
sus nemoris cultrix 2, 4, 3; setosa 2, 4, 12; hispidus 5, 10, 4.

elegantissime animalia appellantur ex ea parte corporis qua maxime internoscuntur ab aliis; **agnus** nominatur laniger, **asinus** auritulus, **hircus** barbatus, **ovis** bidens; adde elegantiam epithetorum **sonipes** et **latrans**; item veteres dixerunt *volantes* pro avibus, *balantes* pro ovibus, *natantes* pro piscibus, *mugientes* pro bobus, similiaque plura.

sed quamquam hanc appositorum elegantiam aestimamus atque laudamus, tamen haud abnuerimus Phaedrum parva inventionis felicitate praeditum esse; nam nullum animal novo quodam atque ingeniose posito adiectivo epitheto nominatum est.

---

[4]) Christius adnotavit ad hanc locutionem (in prolusionis pag. 17): *recens olent illa saeculum,* quia apud antiquos asinus non habitus sit pro dedecore naturae. quid hoc valet argumentum? ne apud Phaedrum quidem ipsum asinus est naturae dedecus, sed leo ira permotus asino hoc cognomen dat contumeliae causa; velut in fabula 5, 3 calvus muscam increpans vocat *contempti generis animal improbum.*

[5]) vide Ulbricht in dissert. pag. 42—45.

[6]) legitur in N V pecoris, contra leges artis metricae; itaque Orellius pectoris.

d) magis fortuna ei favet in aliis appositis quibus stilum elatiorem petit. ita **dominum** feliciter appellat *illum qui centum oculos habet* 2, 8, 18, alludens ad Argum qui apud Graecos appellatur πανόπτης. **Graeciam** nominat *ipsam scholam* in versu

quamvis in ipsa paene[7]) *natus sim schola* 3 prol. 20.

Prometheus appellatur *auctor vulgi fictilis* 4, 16, 3 et *figulus saeculi novi* app. 4, 1.

denique **Cato**[8]) positus est pro homine moroso 4, 7, 21 velut Martialis dixit *triste supercilium durique severa Catonis frons* 11, 2, 1; idem *tunc me vel rigidi legant Catones* 10, 19, 21[9]).

e) ad stilum elatiorem pertinent certe etiam **translationes verborum**, in quibus est vis quaedam poetica. sed in hac re Phaedrus parum felix erat; frustra enim apud eum novas invenies translationes, id quod statim intelleges ex nonnullis exemplis.

translationes desumptae 1) **ex artificio**

polire: *Aesopus auctor quam materiam repperit*
hanc ego polivi versibus senariis[10]) 1 prol. 1—2.

ita Cicero saepe: *verbis ornata oratio et polita* de orat. 1, 31; *ignarus faciendae ac poliendae orationis* de orat. 1, 63 .... ita etiam Culex: *ut tibi digna tuo poliantur carmina sensu* vers. 10; Ovidius: *cur ego sollicita poliam mea carmina cura?* ex Pont. 1, 5, 61.

2) **ab agricultura**[11])

eradere: *curamque habendi penitus corde eraserim* 3 prol. 21; velut Horatius dixit *eradenda cupidinis pravi sunt elementa*, carm. 3, 24, 51; Ovidius *eradere vitae tempora*, 4 trist 9, 5; etiam Seneca hoc vocabulo translate utitur in epist. 11 paragr. 6 *eradere vitia*.

3) **a floribus et arboribus**

florere: *Athenae cum florerent aequis legibus* 1, 2, 1. non opus est exempla cumulare ex aliorum scriptorum operibus.

inserere: *liberi insitivi*[12]) 3, 3, 10; i. e. falsi, spurii. ita

---

[7]) non opus est Haveti coniectura *Phoebi* pro *paene*. interrogat Havetus: *cur paene si ipsa? cur ipsa si paene?* respondeo: quia Phaedrus diem vidit in Pierio monte, i e. in Macedonia, paene igitur natus est in ipsa Graecia quae est poetarum schola.

[8]) librorum lectionem *lecte reato* Pithoeus correxit in *lector Cato*.

[9]) plura exempla praebent commentarii.

[10]) cf. 4, 22, 8 *invenit ille* [Aesopus] *nostra perfecit manus*.

[11]) cf. Kiessling ad Horatii carm. 3, 24, 51.

[12]) *illegitimos*, quod habet N, est glossema; depravatum est hinc quod legitur in V *illegunnos*.

apud Ciceronem scriptum videmus *cum insitivum Gracchum censu prohibusiset* pro Sestio 101; atque Ovidius dixit 13 met. 31

quid sanguine cretus
Sisyphio, furtisque et fraude simillimus illi
inserit Aeacidis alienae nomine gentis.

4) a vino

miscere: *procax libertas civitatem miscuit* 1, 2, 2. miscere pro confundere, perturbare usitatissimum est.

vexatissimus[18]) versus est hic

hosti dolorem damno miscens sanguinis 1, 28, 10.

i. e. hosti dolorem parans damno sanguinis miscere pro parare positum veniam habet; itaque miscere alicui aliquid pro parare alicui aliquid, quamquam alibi non invenitur, tamen reiciendum non esse puto, nisi malis sequi Praschii coniecturam lenissimam *hostis*, ut sit: miscens dolorem hostis damno sanguinis sui.

5) ab equis

frenum solvere: *frenumque solvit pristinum licentia* 1, 2, 3. similes metaphoras ductas ab equis invenis apud Ciceronem: *pueri . . . discunt, exercentur; sed alter frenis eget, alter calcaribus* ad Att. 6, 1, 12; apud eundem: *illi exsultanti tamquam frenos furoris iniecit* Phil. 13, 12; apud Vergilium: [urbem eruam] *ni frenum accipere et victi parere fatentur* Aen. 12, 568; apud Horatium: *animum rege; qui nisi paret imperat, hunc frenis, hunc tu compesce catena* 1 epist. 2, 63. apud eundem: *tua Caesar aetas ordinem rectum evaganti frena licentiae iniecit* carm. 4, 15.

compescere: *qui dissolutos mores vi compesceret* 1, 2, 12; qui versus respondet illi *frenumque solvit pristinum licentia*. compescere translate positum est apud Lucretium *querelas compescere* 3, 954; Vergilium *culpam comp.* georg. 3, 468; Tibullum *vino novos compescere dolores* 1, 2, 1; Horatium *mentem comp.* carm. 1, 16, 22; *risum* sat. 2, 8, 63; Ovidium *furores* trist. 5, 6, 45; *iram* trist. 4, 6, 5; *curas* rem. am. 69.

---

[18]) varias coniecturas vide in notis editionum. in libris P et R legitur: *hosti dolorem damno miscens sanguinis.*

6) a re venatoria

tendere dolos 1, 23, 2. similes locutiones non solum apud poetas reperis ut apud Vergilium *vim duram et vincula capto tende* georg. 4, 400; Tibullum *nam mihi tenduntur casses* 1, 6, 5; Propertium *insidias in me componis inanes, tendis iners retia nota* 2, 23, 68; Horatium *rara tendit retia turdis edacibus dolos* epod. 2, 23; Ovidium *ut partem effugias non omnia retia falles quae tibi quam credis plura tetendit amor* heroid. 20. 45; sed etiam apud scriptores orationis prosae, velut apud Sallustium *insidias tendere* Jug. 35, 5; cf. Catil. 28; Ciceronem *animis omnes tenduntur insidiae* leg. 1, 47.

7) ab aedificando

famam condere 3 prol. 53; simili modo Ennius *aedificare nomen* ann. 412 (Vahl.) et Vergilius *nova condere fata* Aen. 10, 35; postea Silius Italicus *memorandum condere nomen* 4, 36; *factis sibi nomina condere* 3, 71.

8) a re balnearia

destringere i. e. strigili radere; translatum est ad frictiones verborum: *gravi destringere aliquem contumelia* 1, 29, 2; *tu qui nasute scripta destringis mea* 4, 7, 1. qua translatione Ovidius delectatur, qui dixit *destrictus minima nec tamen illa nota est* trist. 2, 436; *non ego mordaci destrinxi carmine quemquam* trist. 2, 563.

vidimus igitur etiam in hac re Phaedrum parum fertile ingenium fuisse qui verborum translationes non nisi diu contritas adhibuerit.

f) Poetarum est nomina substantiva ornare **adiectivis epithetis** id quod ne Phaedrus quidem neglexit. si ornatus causa *servitutem* appellat *tristem* 1, 2, 6; *superbiam inanem* 1, 3, 4; *suspicionem malignam* 3, 10, 36; *strophas verbosas* 1, 14, 4; *senem timidum* 1, 15, 4; *religionem sanctam* 1, 27, 6; *malitiam scelestam* 2, 4, 5; *integritatem sinceram* 3 epil. 30 similiaque plura, his adiectivis augetur vis ipsius substantivi. aliter habent quae sequuntur; nam vim quandam novam substantivis adiciunt haec epitheta:

lingua futtilis 5, 2, 10 et *futtiles* dicuntur *canes* qui ventrem continere non possunt 4, 19, 33. proprie futtilia

nominantur vasa[14]); lingua futtilis est lingua vana loquens; quod adiectivum occurrit passim, apud Afranium *pol magis istius temulentae futtilis* 35 (Ribb.), Terentium *servon fortunas meas me commisisse futtili* Andr. 609[15]), Ciceronem *quis non odit sordidos vanos leves futtiles?* 3 fin. 11; Vergilium *non futtilis auctor* Aen. 11, 339 i. e. non inanis auctor.

fax ardens 1, 28, 8; hoc adiectivum non est otiosum, quia fax tantum significat ramum arboris picatum. ita scriptum videmus *ardens fax* apud Ciceronem 6 Verr. 34, 74; apud eundem *faces accensae* Pis. 2, 5; apud Ovidium *semusta fax* 4 fast. 167; *lucentes faces* 3 fast 270. confer Ovidii versum *puer Veneris fert sine luce facem* 3 am. 9, 8. itaque vulgatam retinemus *vulpes ab ara rapuit ardentem facem;* Heinsius malebat *vulpes ab ara rapuit ardenti facem.*

homo bilinguis 2, 4, 25 i. e. subdolus, fallax, velut Vergilius *Tyrios* appellat *bilingues* Aen. 1, 161[16]). simili modo Silius Italicus dixit *dimitte bilingues ex animo socios* 16, 157; alio sensu hoc adiectivum obviam fit apud Ennium *Bruttace bilingui* A. 496 (Vahl.). confer Paul. Fest. sub verbo bilinguis: *bilingues Bruttaces Ennius dixit quod Brutti et Osce et Graece loqui soliti sunt;* ita etiam Porphyrio ad Horatii sat. 1, 10, 30 *Canusini more bilinguis* adnotavit *bilinguis dixit quoniam utraque lingua usi sunt . . . ideo ergo et Ennius et Lucilius* [1124 Marx] *Bruttace bilingui dixerunt.*

litterata Graecia 3 prol. 54, id est litteris clara, qua significatione alibi non invenitur vocabulum; ipsum est receptum de hominibus; homo litteratus est homo doctus, ita Graecia litterata fortasse est Graecia docta ut Propertius dixit *Athenae doctae*[17]) 1, 6, 13; 3, 21, 1; et Phaedrus ipse in eodem carmine Graeciam appellat *scholam.*

gemmea cauda pavonis 3, 18, 8: saepius legitur in eadem re adiectivum gemmans, ita Plinius n. h. 10, 43 *gemmantes laudatus expandit colores* [pavo]; et Martialis

---

[14]) vide Servium ad Vergilii Aeneid. 11, 339.

[15]) ubi vide Donatum.

[16]) Servius adnotavit ad hunc locum: *fallaces; nec enim ad linguam rettulit, sed ad mentem.*

[17]) cf. Birt Jugendverse und Heimatpoesie Vergils, Erklärung des Catalepton, Lpz. 1910, pag. 181.

13, 70 de pavone *miraris quotiens gemmantes explicat alas*; vel g e m m a t u s, ita Ovidius rem. am. 39 *movit Amor gemmatas aureus alas* vel Statius silv. 2, 4, 26 *quem non gemmata volucris Iunonia cauda vinceret?* tamen semel occurrit g e m m e u s apud Martialem 3, 58, 13 *gemmei pavones.*

doctus labor 2 epil. 15; 3 prol. 26; ita Tibullus dixit *doctaque non patrio carmina more canis* 2, 3, 20; et Propertius *docta tibia* 2, 30, 16; simili modo Horatius *doctarum frontium hederae* carm. 1, 1, 29.

nonnulla nomina adiectiva substantivis naturam tribuunt quasi animatam; quod millies apud poetas invenitur; apud Phaedrum haec adiectiva propria personis aut animalibus iunguntur cum substantivis quae rem significant:

serus 1, 13, 2 s e r a p a e n i t e n t i a; in P et R legitur *fere dat poenas turpi paenitentia*; quid in D fuerit nescio; Rigaltius legit in D: *sera dant poenas turpeis paenitentia*; Muellerus: *serae dant poenas turpei paenitentia*; Havetus adnotat in D legi *paenitentiae.* Rigaltius correxit *sera dant poenas turpes paenitentia*; nonnulli viri docti secuti sunt lectionem f e r e, ut hoc fere sit idem quod p l e r u m q u e, quod nonnunquam occurrit hoc sensu, sed nusquam apud Phaedrum qui *plerumque* scripsit 1, 29, 1 et 3, 16, 2; melius igitur videtur esse vocabulum s e r u s, quod firmatur auctoritate chartae Danielis. legimus igitur ut Muellerus *qui se laudari gaudet verbis subdolis sera dat poenas turpes paenitentia* aut ut Schwabius *qui se laudari gaudent verbis subdolis sera dant poenas turpes paenitentia,* quia et in D est g a u d e n t - d a n t et in Romulo atque Anonymo Nilantino. si s e r a legitur, t u r p e s scribendum erit; nam t u r p i iuxta s e r a retineri non poterit.[18]) ceterum locutio s e r a p a e n i t e n t i a non inaudita est; Curtius dixit *sera deinde paenitentia subiit regem* 3, 2, 19; Livius *celerem poenitentiam, sed eandem seram atque inutilem sequi* 31, 32; Seneca *divitibus opes suas metuentibus exprobat seram periculosae avaritiae paenitentiam* de tranq. an. 3, 14, praeterea adiec-

[18]) cf. Babrii fabulam 77 ὁ μῦθος διδάσκει μηδαμῶς ἄνθρωπον ἐπαίνοις ἐξαπατᾶσθαι, ζ η μ ί α ι γὰρ ἐντεῦθεν καὶ ἀ τ ι μ ί α ι εἰώθασι γίνεσθαι, quem locum comparavit Thiele (Herm. 1906 pag. 569).

tivum serus receptum est in similibus locutionibus velut *sera tamen tacitis Poena venit pedibus* Tibull. 1, 9, 4; *sera domitus catena* Horat. 3 carm. 8, 22; *nostraque vincetur lacrimis clementia seris* Ovid. trist. 4, 9, 2—3; *vera facis sed sera meae convicia culpae* Ovid. ex Pont. 6, 7; *sera spes* Liv. 5, 6, 2; *sera venia* Tacit. hist. 2, 63, 9.

caecus; caecus timor 2, 8. 3 i. e. caecum reddens; talia infinita apud poetas.

contumax; lima contumax 4, 8, 5 i. e. resistens; quod adiectivum raro usurpatum est de rebus corporeis, apud Senecam, Phaedri aequalem, *quidquid fulmen in tigno solidum invenit et contumax* nat. quaest. 2, 52, 1 et apud eundem *nihil est tam violentum, tam incontinens sui, tam contumax infestumque retinentibus quam magna vis undae* nat.quaest. 3, 30, 6.

saevus; morsus saevi 1,12,11; *lacerari coepit morsibus saevis canum* pro morsibus saevorum canum, velut 1, 3, 7 *pavonum formosus grex* pro pavonum formosorum grex; iterum adhibet Phaedrus adiectivum saevus 1, 31, 12 *exercere imperium saevis unguibus.* ut dixit morsus saevi, ita etiam dentes avidi 1, 13, 11 *quem [caseum] celeriter dolosa vulpes avidis rapuit dentibus* et 4, 6, 9 *quos immolatos victor avidis dentibus capacis alvi mersit tartareo specu* ac dens improbus, 4, 8, 1 *mordaciorem qui improbo dente adpetit.* similia persaepe inveniuntur apud poetas; *morsus avidi* dixit Ovidius 4 met. 724; idem *dapes avido convellere dente* 11 met. 123 et *avidae aures* 3 ex Pont. 4, 19; *avidae manus mortis* dixit Tibullus 1, 3, 4 ut Horatius *avida manus heredis* carm. 4, 7, 19; quin etiam inveniuntur *avidi oculi* apud Plinium n. h. 14, 141, *avidae fauces* apud Ovidium 8 met. 829, *avidae ungues* apud Ovidium 4 met. 716, *avidus rictus* apud Phaedrum in app. 23, 5; confer denique Horatii carm. 4, 3, 16 *dente invido morderi* et sat. 2, 6, 87 *dente superbo tangere cibum.*

infestus; cornua infesta 1, 21, 7; *infestis taurus mox confodit cornibus hostile corpus* pro infestus taurus confodit cornibus.

addas versum *ranae vagantes liberis paludibus* 1, 2, 10; non paludes sunt liberae, sed ranae sunt liberae, i. e. sine rege; itaque Walchius male interpretatus est: liberis paludibus i. e. ab aliis animalibus liberis. Falsum autem est librorum bonam lectionem *laceratus quidam morsu vehementis canis* 2, 3, 1, ad analogiam superiorum corrigere ut Müllerus fecit et alii *laceratus quidam morsu vehementi canis.*

Non est neglegendum nonnunquam talia adiectiva con-
uncta esse cum substantivis abstractis quae posita sunt pro
:oncretis; ita legimus apud Phaedrum *procax libertas*
:ivitatem miscuit 1, 2, 2; *vindicta docili quia patet soller-*
'iae 1, 28, 2; *sed spes fefellit impudentem audaciam*
3, 5, 9; *sed ne religio peccet imprudens mea* 3, 13, 8; *plus*
vetustati favet invidia mordax quam bonis praesentibus
5 prol. 9.

Elatioris atque plenioris sermonis est pluribus vocibus et
per ambitum verborum enuntiare id quod uno poterat
ıbsolvi adverbio; velut Phaedrus non dixit *consilium tacite*
lamnare, sed *consilium tacito corde damnare* 4 prol. 3; compara:
fatale vitium corde durato feram 2 epil. 18; *tum semisomno*
:orde et errore ebrio applicuit virginale generi masculo 4,
16, 11; eiusmodi locutiones non inauditae sunt apud alios
poetas; Ennius dixit *cupido corde pedem efferre* Sc. 279
(Vahl.), Vergilius *sedato respondere pectore* Aeneid. 9, 740,
Ovidius *forti mala ferre corde* trist. 3, 3, 57 similiaque
plura.

hic enumerandi sunt alii versus in quibus Phaedrus
ıdiectiva adhibuit pro adverbiis:
3, 2, 14 *saevit irato impetu*;
2, 4, 18 *inde evagata noctu suspenso pede* (cf. Terentii
suspenso gradu placide ire Phorm. 867; Ovidii *suspensos*
gradus ferre 6 fast. 338.);
2, 7, 6 *comes quieto sequitur et placido gradu*;
3, 2, 11 *et in cubile concito properat gradu*;
5, 1, 13 *veniebat gressu delicato et languido*;
ıpp. 4, 18 *modesto gressu sancta incessit Veritas.*
etiam in versu *nocturnus cum fur panem misisset cani* 1, 23, 3
nocturnus positum est pro noctu; confer Vergilii *lupus gregi-*
bus nocturnus obambulat georg. 3, 538; Horatii *et qui nocturnus*
divum sacra legerit sat. 1, 3, 117; *nec vespertinus circum-*
gemit ursus ovile epod. 16, 51.
nsolita est locutio *callida fingere manu* app. 4, 9.

Summa inest elegantia his **adiectivis descriptivis** quaeque
rem oculis subiciunt:

fulmineus; egregie designat suis dentes fulmineos 1,
21, 5. sed haec imago apud Phaedrum non primum
nvenitur; iam Vergilius *ensem* appellat *fulmineum* Aeneid.

4, 580; Ovidius eandem metaphoram saepius adhibet, met. 11, 367 dixit *fulminei rictus lupi;* fast. 2, 231 *sicut aper silvis longe Laurentibus actus fulmineo celeres dissipat ore canes;* art. am. 2, 374 *aper fulmineo cum rotat ore canes;* met 8, 289 *fulmen ab ore venit;* met. 10, 550 *fulmen habent acres in aduncis dentibus apri.* itaque imitatio Ovidiana perspicua est; Ovidium imitati sunt etiam Martialis 11, 69, 9 *fulmineus spumantis apri dens* et Statius Theb 6, 805 *fulminei sues.*

ramosus; cornua cervi appellat ramosa 1, 12, 5 i. e. ramis similia, quo adectivo Phaedrus imitatus est Vergilium qui dixit *ramosa cornua cervi* ecl 7, 30 et *cervi cornibus arboreis* Aeneid. 1, 190; postea Plinius quoque cornua tarandri nominat ramosa n. h. 8, 124. Lucretius eadem metaphora usus est *nubila* appellans *ramosa* 6, 133.

nemoris cultrix appellatur sus 2, 4, 3; ita Catullus nominat *cervam silvicultricem* et *aprum nemorivagum* 63, 72; apud Vergilium autem reperis *nemorum cultrix Latonia virgo* Aeneid 11, 557; ex Vergilo igitur pendet Phaedrus; itaque non opus est coniectura illa *nemoricultrix;* multis viris doctis scilicet placuit nemoricultrix propter similes nominum compositiones ut silvicola, silvicultrix, nemorivagus similiaque plura

apparet, ne haec quidem epitheta, quibus summus inest nitor, a Phaedro esse inventa, sed sumpta sunt e sermone poetarum clarissimorum.

g) Vidimus plurima vocabula quae Phaedrus adhibet sumpta esse e scriptorum pedestrium sermone, attamen non omnia ad unum; nam **e poetarum consuetudine et lectione sunt haec nomina substantiva:**
lympha 1, 4, 3 pro aqua;
sponda app. 15, 8;
vox **basium** 5, 7, 28 ante Phaedrum apud Catullum tantum invenitur[19]).
vocabulum **derisor,** 3, 14, 4 probare possumus exemplis ex Plauto et Horatio sumptis.

huc referenda sunt etiam pauca **vocabula Graeca,** quae ante Phaedrum apud poetas tantum reperiuntur velut **toxicum** 1, 14, 8 et **melos** 3, 18, 11 et 4, 21, 2.

[19]) de hoc vocabulo videas Hauptii opuscul· tom II pag. 109·

nonnulla vocabula significatione illa qua Phaedrus ea adhibet non recepta sunt apud scriptores prosae orationis velut

neniae 3 prol. 10; 4, 2, 3; pro carminibus vanis et ineptis, antea apud Horatium tantum 1 epist. 1, 63 *puerorum nenia;* sed simili modo sane etiam Plautus pro nutricum carmine Pseud. 1278 a; postea Arnobius 7, 237 *somni quiete dii solvuntur occuparique ut hoc possint lenes audiendae sunt neniae.*

cathedra 3, 8, 4; est hoc loco sella feminarum mollior atque delicatior, ut apud Horatium sat. 1, 10, 91 *discipularum inter iubeo plorare cathedras;* Martialis et Iuvenalis addere solent *feminarum* vel *feminea.*

cura de capillorum cultu 2, 2, 8 ut Tibullus dixit *tollere tunc cura est albos a stirpe capillos* 1, 8, 45 et Propertius *odoratae cura molesta comae* 3, 14, 28; cf. Cir. 126 *omnis cano residebat cura capillo* et Val. Flacc. 8, 238 *sua flavis reddita cura comis; de cura capillorum* erat titulus libelli Domitiani, ut Suetonius tradidit Dom. 18.

idem vocabulum **cura** de opere cum cura atque industria elaborato occurrit in versu *si livor obtrectare curam voluerit* 2 epil. 10; simili sane modo dixit Ovidius *quod tu laudaras populo placuisse putabam, hoc pretium curae dulce recentis erat* ex Pont. 2, 4, 15; idem *nunc hederae sine honore iacent, operataque doctis cura vigil Musis nomen inertis habet;* idem saepius. ita postea Tacitus *quorum in manus cura nostra venerit* 4 ann. 11; idem 3, ann. 24; dial. de orat. 6; et Martialis 1, 25, 6.[20]).

sarcina pro fetu positum est in versu *dein portat [mater] onus ignotum certis mensibus, novissime prolapsam effundit sarcinam* 3, 15, 6. Ovidius quoque usurpat hoc vocabulum significatione eadem *Ismenus qui matri sarcina quondam prima suae fuerat* 6 met. 224; idem *sic male vixque subit primos rude pectus amores sarcinaque haec animo non sedet apta meo* 4 her. 23. multo post invenitur apud Apuleium simile quid *uxor sarcina praegnationis onerata* met. 10, 23 et *iam in sarcinam praegnationis obsepto utero* met. 1, 9.

---

[20]) vide quod adnotaverunt Friedländer ad locum Martialis citatum et Birtius in libello Jugendverse und Heimatpoesie Vergils pag. 76 ad Vergilii verba *cura curarum.*

onus de fetu dixit in versibus *corpus lecto reciperet [mulier parturiens] onus naturae melius quo deponeret* 1, 18, 5 et *dein portat onus ignotum certis mensibus* 3, 15, 5. ita Ovidius *tendit onus matrem* met. 10, 506 et *positum est uteri crimen onusque mei* her. 11, 64; *onus gravidi ventris* am. 2, 13, 1 similiaque plura. Phaedrus ipse in 3, 15, 6 *sarcina* nominaverat quod hoc loco *onus*.

simulacrum pro imagine quam aqua reddit positum est in versu *lympharum in speculo vidit simulacrum suum* 1, 4, 3. eodem modo dixit Lucretius *per aquas quae nunc rerum simulacra videmus* 1, 1060; idem *postremo speculis in aqua splendoreque in omni quaecumque apparent nobis simulacra* 4, 98; ita etiam Ovidius *quid frustra simulacra fugacia* [in aqua visa] *captas?* met. 3, 432.

cerebrum pro mente positum 1, 7, 2 de persona tragica *o quanta species, inquit, cerebrum non habet*[21]) receptum est apud poetas velut apud Plautum *mihi misero cerebrum excutiunt tua dicta* Aul. 151; apud Horatium *putidius multo cerebrum est Perelli* [quam tuum] sat. 2, 3, 75; *o te cerebri felicem aiebam tacitus* sat. 1, 9, 11.

liquor 1, 1, 8; 1, 12, 4; 4, 9, 6 absolute positum est e poetarum lectione, pro aqua in Moreto 38 *flamma gelidos adolere liquores,* apud Ovidium *haurire gelidos liquores* 4 met. 300; de vino invenitur apud Horatium *novum fundens liquorem* carm, 1, 31, 3 et apud Tibullum *aurea tunc pressos pedibus dedit uva liquores* 2, 1, 45; de mari apud Horatium *medius liquor secernit Europen ab Afro* carm. 3, 3, 46; de lacrimis apud Senecam *hactenus fundent levem oculi liquorem* Oed. 955.

candor pro animi sinceritate et benevolentia 3 prol. 64, quo vocabuli usu delectatur Ovidius: *candor in hoc aevo res intermortua paene* 2 ex Pont. 5, 5; cf. 3 ex Ponto 4, 13; 3, 2, 21; 3 trist. 6, 7; etiam apud Velleium Paterculum aequalem Phaedri vox *candor* occurrit hac significatione 2, 116, 5.

facies eleganter dictum est de habitu maris 4, 18, 5; ut iam Vergilius dixit *quibus aspera quondam visa maris facies* Aeneid. 5, 768; simili tamen modo idem *salis placidi*

---

[21]) Graece οἵα κεφαλή, ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει.

vultus Aeneid. 5. 848 et postea Tacitus *facies stagni* 5 hist. 23, 18 cf. Vergilii *curvata in montis faciem circumstetit unda* georg. 4, 361.

praedator pro venatore 2, 1, 2; in hoc versu

super iuvencum stabat deiectum leo
praedator intervenit partem postulans

praedatorem esse venatorem, non latronem ut nonnulli malunt, inde apparet, quod partes iuvenci postulari possunt non a latrone quodam, sed a venatore qui iuvencum venatus est. quae significatio praedatoris occurrit etiam apud Ovidium 12 met. 306 *Abas praedator aprorum.* Phaedrus ipse adhibet vocem praedae de re venatoria 1, 5, 11 *sic totam praedam sola improbitas abstulit* velut Vergilius quoque *illi se praedae accingunt dapibusque futuris* Aeneid. 1, 210.

sedes nominat Phaedrus animalium receptacula 1, 3, 13; 1, 4, 8. sic Vergilius dixit sedes de hydrae Aeneid. 6, 557 et de apium receptaculis georg. 4, 8. laudatur etiam Horatii versus *nota quae sedes fuerat columbis* carm. 1, 2, 10; addas Ovidium qui mare appellavit *piscium sedes* hal. 92. similes locutiones velut domus et statio de animalium latibulis congessit Burmannus ad 1, 3, 13; sic Phaedrus ipse testudinem appellat *corneam domum* 2, 5, 6, et formica laudat *copiosam domum* 4, 25, 21 et *paludis latebrae* sunt *statio ranarum* 1, 30, 7.[22])

vox **haustus** nonnunquam apud poetas ipsam rem quae bibitur et ipsum hauriendi actum significat, quem vocis usum imitatus est Phaedrus in versu *ad te decurrit ad meos haustus liquor* 1, 1, 8; i. e. ad me bibentem. ita Lucretius dixit *[canes] suspensis teneros imitantur dentibus haustus* 5, 1069; idem *usque adeo largos haustus e fontibus magnis lingua meo suavis diti de pectore fundet* 1, 413; idem 2, 453 *namque papaveris haustus item est facilis quod aquarum*; et Ovidius *saepe sed exiguis haustibus inde bibi* 3 fast. 274; idem *accipe nunc inquit nostri quoque sanguinis haustus* 4 met. 118; *haustus aquae mihi nectar erit* met. 6, 356. denique Horatius verbum transtulit in epist. 1, 3, 10 *Pindarici fontis haustus.*

---

[22]) legimus 1, 3, 13, *contentus nostris si fuisses sedibus;* ita traditum est in libris; Neveletus maluit *vestibus* pro *sedibus,* quia apud Romulum scriptum est *si tuas vestes amasses;* sed nusquam inveni vestes dictum de pennis avium.

flatus de sonitu tibiarum positum est 5, 7, 14 e poetarum lectione; confer Vergilii *calamos inflare leves* eclog. 5, 2; Ovidii *inflexo Berecynthia tibia cornu flabit* 4 fast. 181; maxime Horatii art. poet. 205 *nondum spissa nimis complere sedilia flatu.*

Praeterea haec enumerari possunt verba quae ante Phaedrum apud poetas tantum frequentiora sunt:

deponere de partu est locutio Catulliana; cf. Catulli 34, 5
o Latonia maximi
magni progenies Jovis
quam mater prope Deliam
deposivit olivam.
apud Phaedrum hoc verbum bis occurrit, 1, 18, 5 *onus naturae deponere* et 1, 19, 4 *fetum deponere.*

tenere 2, 2, 4[23]) pro vinculis amoris obstrictum tenere apud poetas saepissime invenitur.

titubare 4, 15, 10; verbum sollemne de ebriis, quo delectatur Ovidus: *titubantia vino membra* fast. 6, 677; *titubantes ebrius artus sustinet* met. 4, 26; *ille mero somnoque gravis titubare videtur* met. 3, 607.

huc referendae sunt **nonnullae translationes verborum** de quibus antea disputavimus velut **compescere** 1, 2, 12; **eradere** 3 prol. 21; **condere** 3 prol. 53; **destringere** 1, 29, 2; 4, 7, 1.

E poetarum consuetudine aliae quoque sumptae sunt compositiones verborum velut

capillos legere 2, 2, 7 i. e. secernere nigros a canis, evellere; ut Ovidius dixit *albentes iam legit illa comas* art. am. 2, 666. hoc vocabulum receptum fuisse ex similitudine frugum et florum qui avelluntur Burmannus recte adnotavit.

[23]) *tegebat* quod in libris legitur error scribae est qui fortasse in animo habebat tegebat annos-celabat annos; qui error ortus est inde quod in libris legebatur *aetatis mediae quaedam mulier non rudis tegebat annos celans elegantia*; quod non quadrat in versum qui sequitur *animosque eiusdem pulchra iuvenis ceperat.* itaque iam Gudius correxit *quendam* pro *quedam* sive *qua dam*; ob id ipsum mutandum est *tenebat.*

arcum retendere 3, 14, 5 velut Ovidius dixit *lentosque retendit arcus* 2 met. 420; *tradidit arcus retentos* 3 met. 165; translate apud Quintilianum *danda est tamen omnibus aliqua remissio . . . atque ea quoque quae sensu et anima carent velut alterna quiete retenduntur*.

laxare arcum 3, 14, 11; sic Vergilius *laxi arcus* Aeneid. 11, 874; Horatius *laxus arcus* carm. 3, 8, 23; Ovidius *laxior arcus* rem. am. 702; denique Seneca *laxavit arcus* Oed. 469; idem *arcum relaxare* Agam. 326.

carpere oscula 3, 8, 12 elegantissima est poetarum imitatio; confer Catulli *oscula decerpere* 68, 127; Ovidii *luctantia oscula carpere* met. 4, 358; eiusdem *non oscula frigida carpsi* 11 her. 117; et *multa sine ordine carpere oscula* 2 am. 11, 45; confer denique Phaedri *delibare oscula*, 4, 24, 7 quae est imitatio Vergiliana.

carpere iter app. 21, 1; similia apud Vergilium georg. 3, 91 *carpere gyrum*; georg. 3, 347 *viam*; apud Horatium sat. 1, 5, 95 *iter*; apud Ovidium met. 11, 753 *mare*.

decurrere vitam 4, 1, 10; cf. app. 2, 13 *fatalis annos decurramus temporis*; ita Pacuvius tr. 347 *decurso itinere*; Lucretius 3, 1042 *decurrere lumen vitae*; idem 4, 1196 *spatium decurrere amoris*; Vergilius 2 georg. 39 *inceptum decurre laborem*; Ovidius trist. 3, 4, 33 *spatium decurrere vitae*. hoc ipsum *decurrere vitam* invenio apud Propertium 2, 15, 41.

quassare fulmen 4, 19, 23;[24]) ita Vergilius *quassare hastam trementem* Aeneid. 12, 94; *quassabat Etruscam pinum* Aeneid. 9, 521; *lampada quassans* Aeneid. 6, 587; Ovidius *quassanda est ista Pelias hasta manu* art. am. 1, 696.

oculis venari viros 4, 5, 4 de puella quae oculis viros allicit; simili ratione dixit Plautus *oculis venaturam facere et aucupium auribus* mil. glor. 990; Horatius *crustis et pomis viduas venari avaras* 1 epist. 1, 78; Ovidius *quid tibi femineos coetus venatibus aptos enumerem* 1 art. am. 253; idem *praecipue curvis venare theatris* 1 a. a. 89 et *ne quo venentur amores refert* med. fac. 27. compara Graecos, Xenophontem διὰ κάλλος ὑπὸ πολλῶν καὶ σεμνῶν γυναικῶν θηρώμενος mem. 1, 2; et *Lucianum* ἐπιβάλλειν τοῖς νέοις τοὺς ὀφθαλμούς asin. 4.

---

[24]) cf., quod adnotavit Nordenius ad Aeneidos libri VI versum 587, cuius viri docti iudicio non accedo.

iocum esse 1, 21, 2; *quicumque amisit dignitatem pristinam ignavis etiam iocus est in casu gravi;* ita Catullus quoque *iocum me putat esse moecha* 42, 3; Horatius *haec mea cura est ne quid tu perdas neu sis iocus,* sat. 2, 5, 36; Propertius *fallaci dominae iam pudet esse iocum* 2, 24, 16; postea Petronius 57 *nunc spero me sic vivere ut nemini iocus sim.* simili modo usitatum est vocabulum risus, exempli causa apud Horatium sat. 2, 2, 107 *o magnus posthac inimicis risus* et apud Ovidium fast. 1, 437 *at deus [Priapus] omnibus ad Lunae lumina risus erat.*

inrigatus nectare venas 4, 15, 9; similia apud Plautum *vino edentulo aetatem inriges* Poen. 700 et Vergilium de Sileno *inflatum hesterno venas ut semper Iaccho* eclog. 6, 15.

altis ab astris 2, 6, 12; **per auras** 2, 6, 7; **ad sidera** 1, 6, 4 e poetarum usu posita sunt; exempla cumulare non opus est.

medio sole 3, 19, 8 pro meridie; similia saepe in carminibus velut Vergilii *primi sub lumina solis* Aeneid. 6, 255; Horatii *supremo sole* epist. 1, 5, 3; ita etiam *medius sol* apud Martialem 3, 44, 7; *sol novus* apud Vergilium Aeneid. 7, 720; *medius Phoebus* apud Valerium Flaccum 3, 482; apud eundem *primus Phoebus* 2, 75 et 5, 332.

h) Aperta poetarum singularium imitatio observatur in nonnullis versibus:

1. operae pretium est examinare quomodo Phaedrus secutus sit sermonem poetarum comicorum; Phaedri enim stilum Terentiano similem esse multi censuerunt viri docti, sed exempla nondum congesta sunt.

2. Phaedro Ennii carmina non ignota fuisse vidimus quia ipse dixit 3 epil. 33
   ego quondam legi quam puer sententiam
   palam mutire plebeio periculum est
   qui est Ennii versus.

3. huc referenda est fabula septima libri quarti, quo carmine Phaedrus consulto imitatur stilum tragoediarum
   tu qui nasute scripta destringis mea
   et hoc iocorum legere fastidis genus
   parva libellum sustine patientia
   severitatem frontis dum placo tuae
   et in cothurnis prodit Aesopus novis.

deinde sequitur versuum tragicorum parodia:

utinam non unquam Pelii nemoris iugo
pinus bipenni concidisset Thessala eqs.

Vahlenius existimat Ennium esse illum poetam cuius stilum Phaedrus illuserit.[25])

fortasse etiam hi versus fabulae sextae libi quarti

quos immolatos victor avidis dentibus
capacis alvi mersit tartareo specu

versuum tragicorum parodia sunt poeticae exaggerationis et ridiculi causa interserta. similes exaggerationes nonnunquam occurrunt apud poetas nec solum tragicos, velut apud Vergilium *reddit specus atri vulneris undam* Aeneid 9, 700; praecipue apud Ovidium *demisit vastam Polyphemus in alvum* in Ibid. 385 et *corporeasque dap s avidam demersit in alvum* met. 15, 105. Phaedri versus imitatus est Prudentius hymn. 7, 115

exceptus inde beluinis dentibus
alvi capacis vivus hauritur specu.

cf. etiam Boethii de cons. phil. lib. IV

flevit amissos Ithacus sodales
quos ferus vasto recubans in antro
mersit immani Polyphemus alvo.

erravisse autem Nordenius mihi quidem videtur in adnotatione ad Vergilii Aeneid. libri VI versum 99; Vergilius dixit *antroque remugit [Sibylla]*; quem versum Phaedrus imitatus est *mugit adytis Religio* app. 6, 4; qua ex observatione Nordenius haec efficit: Bei solchen Uebereinstimmungen zwischen Vergil und Phädrus ist als gemeinsame Vorlage die lateinische Tragödie wahrscheinlich, die Phädrus (meist parodierend) stark benutzte. quid opus est tali circuitu uti? verisimilius est Phaedrum imitatum esse Vergilium quam illos poetas tragicos.[26])

4. Havetus recte cognovit[27]) Phaedro in iis sententiis quae ante vel post fabulam leguntur Publilii Syri sententias exemplar fuise ad imitandum; id quod comprobat his exemplis:

Publilius Syrus 214 [Ribb]:

habet suum venenum blanda oratio.

---

[25]) Vahlenius adnotavit ad Ennii scaen. 246: Phaedrus suo more Medeae fabulam memor fortasse in paucis Ennii exponit.

[26]) etiam Georgius Thiele Nordenii sententiam exemplis non firmatam improbat; cf. Hermes 41, 574.

[27]) in editionis maioris paragrapho 156.

Phaedrus 1, 19, 1:
habent insidias hominis blanditiae mali.
Publilius Syrus 644:
ubi coepit ditem pauper imitari perit.
Phaedrus 1, 24, 1:
inops potentem dum vult imitari perit.
Havetum effugit hoc exemplum:
Publilius Syrus 255:
inimicum quamvis humilem docti est metuere.
Phaedrus 1, 28, 1:
quamvis sublimes debent humiles metuere.

non neglegendum est etiam Phaedri artem metricam simillimam esse Publilii Syri arti.[28])

5. Maxime autem constat imitatio eorum poetarum qui Augusti temporibus floruerunt, praecipue imitatio Vergilii. in memoriam tibi reduco illum locum quem supra citavi:
subito sacratae vatis horrescunt comae,
tripodes moventur, mugit adytis Religio (app. 6, 3 - 4).
quibuscum versibus compara Vergilii Aeneid. 6, 99
talibus ex adyto Cumaea Sibylla
horrendos canit ambages antroque remugit.
quae verba Phaedrus non nimis ingeniose imitatus est; Religio enim apud Nostrum non est locus sanctus, quia Religio i. e. locus sanctus non ex adytis i. e. ex loco sancto mugire potest, sed Religio a Phaedro inter deos numerata est velut in fabula XI libri IV: *repente vocem sancta misit Religio* et in fabula XXVII libri I *poenas ut sanctae Religioni penderet.* Georgius Thiele cum Phaedri versibus alterum Vergilii locum recte comparavit:
vix ea fatus eram tremere omnia visa repente
liminaque laurusque dei totusque moveri
mons circum et mugire adytis cortina reclusis;
ubi cortina quae est tripus metonymice pro oraculo Apollinis habetur.

Alteram Vergilii imitationem cognovit Thiele[29]) qui comparavit Phaedri versus 3 prol. 51
rem me professum dicet forsan quis gravem.
si Phryx Aesopus potuit, Anacharsis Scytha
aeternam famam condere ingenio suo

---

[28]) cf. Müllerum in editionis maioris pag. IX.
[29]) Hermes 41, 574.

ego litteratae qui sum propior Graeciae
cur somno inerti deseram patriae decus?
Threissa cum gens numeret auctores suos
Linoque Apollo sit parens, Musa Orpheo . . .

cum Vergilii eclog IV v. 55—57

non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus
nei Linus, huic mater quamvis atque huic pater adsit
Orphei Calliopeia, Lino formosus Apollo.

Tertiam Vergilii imitationem Havetus nos docuit[30]); Vergilius scripserat *volucremque fuga praevertitur Hebrum* Aeneid. 1, 317; Servius hunc versum castigavit quia Hebrus esset quietissimus fluvius etiam cum per hiemem crevisset. Phaedrus in eundem incidit errorem 3 prol. 59 *Hebrique tenuit [Orpheus] impetus dulci mora.*

Phaedrum in versu 1, 6, 4 *clamorem ranae sustulere ad sidera* forsan ante oculos habuisse versum illum Vergilii *clamorem ad sidera tollunt Dardanidae e muris* Aeneid. 10, 262 Schwabius existimavit; quod probabile est, quia Phaedrus delectatur elatioris poeseos stilum ridiculi causa adhibere ad suam materiam deteriorem.

Denique nonnullae locutiones sumptae sunt e sermone Vergilii:

delibare oscula 4, 24, 7, quod invenis apud Vergilium tantum in illo versu *summaque per galeam delibans oscula fatur* Aeneid. 12, 434; apud eundem *oscula libavit natae* Aeneid. 1, 256.

enumeravimus iam supra inter adiectiva elegantissima vocem **ramosus** 1, 12, 5 quo epitheto Phaedrus designat cornua cervi; quam esse imitationem Vergilii exemplis probavimus. denique quis dubitet quin haec verba **frena spumantia** 3, 6, 7, sumpta sint e Vergilio qui ea saepe adhibet?

Consulto et cogitata est imitatio quaedam in versu *Aesopus ibi stans naris emunctae senex* 3, 3, 14; cui non in mentem venit Horatii qui Lucilium appellavit *senem emunctae naris* 1 sat. 4, 8?

Saepius imitatus est Phaedrus Ovidium; compara versus Ovidii trist. 1, 1, 85

et mea cymba semel vasta percussa procella
illum quo laesa est horret adire locum

---

[30]) in editionis maioris paragrapho 155.

cum Phaedri sententia

nemo libenter recolit qui laesit locum 1, 18, 1 [31]).

iam Burmannus cognoverat Phaedrum in versibus 3, 10

dum quaerunt lumen dum concursant familia
ad lectum accedit, tentat in tenebris caput
lucerna allata simul adspexit filium

quaedam transtulisse ex Ovidii fast versibus 2, 347 sqq.

interea tunicas ora subducit ad ima;
horrebant densis aspera crura pilis.
cetera tentantem cubito Tirynthius heros
reppulit. e summo decidit ille toro.
fit sonus; inclamat comites et lumina poscit
Maeonis; illatis ignibus acta patent.

denique Ovidius de pavone dixerat med. fac. 53

laudatas homini volucris Junonia pennas
explicat et forma muta superbit avis

et met. 1, 723

excipit hos volucrisque suae Saturnia pennis
collocat et gemmis caudam stellantibus implet.

quibuscum verbis compara Phaedri versus 3, 18, 7

nitor smaragdi collo praefulget tuo
pictisque plumis gemmeam caudam explicas.
quo mi inquit mutam speciem si vincor sono?

Proposui apertas poetarum singularium imitationes, Ennii, poetarum tragicorum, Publilii Syri, Vergilii, Horatii, Ovidii. quamquam Ennium Phaedrus ipse citavit et stilum poetarum tragicorum in una fabula consulto se derisisse fatetur, tamen restant nonnullae imitationes quae nobis parvam eius inventionis felicitatem comprobant.

i) Ex ipsa rerum natura sequebatur, ut ea quae a consuetudine vulgari discedunt, accuratius tractaremus; itaque hoc caput longius factum est quam ut omnia quae ex eo efficiuntur memoria teneamus. non inutile igitur videtur esse rem dissolutam recolligere et in artius constringere.

Nonnumquam Phaedri sermo assurgit e simplicitate sua; qua in re inprimis laudanda est brevitas et verborum et rerum, nec non etiam varietas qua commutat ora-

[31]) estne hoc vetus proverbium?

tionem. praeterea admiranda est in nonnullis appositis praeter varietatem elegantia quoque verborum, inprimis delectatur hic poeta iucunda varietate in appellandis animalibus. adhibuit etiam translationes verborum ut stilum augeat; ad id ipsum substantiva ornavit epithetis quibus interdum magna inest elegantia. denique e poetarum sermone imitando depromptae sunt non paucae voces atque compositiones verborum. itaque severius de Phaedri sermone indicasse nobis quidem videtur Causeretus qui scripsit:[32]) *acres illas et vividas voces non reperit, quae non modo rem legentes docent, sed etiam quasi depingunt. ita enim omni colore ac lumine orba est Phaedri oratio, ut vix unum aut alterum vocabulum, quod sententiam figuret atque illustret, in quinque illius libris reperias*; et paulo infra: *paucissimae vero sunt egregiae illae verborum translationes magnisque intervallis apparent.*

sed erit opus ut nostrum quoque iudicium et corrigamus et suppleamus.

addendum est stilum elatiorem non solum in singulis inveniri vocibus, sed etiam per totos versus vel adeo fabulas patere, velut in versibus
tunc sic deorum genitor atque hominum sator[33]) 3, 17, 10;
ubi inrigatus multo venas nectare
sero domum est reversus titubanti pede;
tum semisomno corde et errore ebrio . . . 4, 16, 9;
faciem ad serenam subito ut mutatur dies 4, 18, 5;
modesto gressu sancta incessit Veritas
at trunca species haesit in vestigio app. 4, 18—19;
utilia nobis quae sint dic Phoebe obsecro
qui Delphos et formosum Parnasum incolis
quando sacratae vatis horrescunt comae
tripodes moventur mugit adytis Religio
tremuntque lauri et ipsa pallescit dies.
voces resolvit icta Python numine app. 6, 1—6;
repente caelum Veneris misericordia

---

[32]) in dissertationis de Phaedri sermone pag. 16.

[33]) P et R habent *tunc sic deorum gentium atque hominum sator*, V recte genitor pro gentium. Müllerus proposuit *coepit* adnotans in commentariolo: *coepit; vulgo genitor, nimis incondite, cum sequatur sator; apparet quartum huius versus vocabulum in archetypo non satis potuisse legi.* sed Phaedrus ipse dixit 4, 19, 22 *consedit genitor tum deorum maximus;* ita etiam Vergilius *caeli genitor* Aeneid. 9, 630; *hominum sator atque deorum* Aeneid. 1, 254; et Ovidius *deum genitor* amor. 1, 13, 45

ventis movetur intonat mundi fragor
noctemque densis horridam nimbis parit;
lux rapitur oculis et simul vis grandinis
effusa trepidos passim comites dissipat
sibi quemque cogens petere praesidium fuga app. 14, 15—20.

maxime in dialogis ars narrandi iucundior apparet, velut in fabula VIII libri tertii, in fabula XXI libri quarti, in eiusdem libri fabula XXV, denique in fabula VII libri tertii quam supra citavimus.

porro in prologis et epilogis dictio poetica non agnosci non potest, exempli causa in prologi libri tertii versu octavo et sequentibus:

fortasse dices aliquae venient feriae
quae me soluto pectore ad studium vocent,
legesne quaeso potius viles nenias
impendas curam quam rei domesticae
reddas amicis tempora, uxori vaces,
animum relaxes, otium des corpori,
ut adsuetam fortius praestes vicem?
mutandum tibi propositum est et vitae genus
intrare si Musarum limen cogitas.
ego quem Pierio mater enixa est iugo
in quo tonanti sancta Mnemosyne Jovi
fecunda novies Artium peperit chorum,
quamvis in ipsa paene natus sim schola
curamque habendi penitus corde eraserim
et laude invicta vitam in hanc incubuerim,
fastidiose tamen in coetum recipior.

optimum est carmen fabula VII libri tertii, de qua acclamamus Schwabio dicenti: *haec fabula . . . est ex praestantissimis; sive species argumenti delectum sive dialogi facilitatem et elegantiam, sive brevitatem et simplicitatem.*

III.

PHAEDRI SERMONEM ESSE MIXTUM DEMONSTRATUR.

Multis comprobare exemplis conati sumus nonnunquam sese efferre Phaedri sermonem; quam orationis elegantiam ut assequeretur varia conatus est quae enumeravimus; attamen non abnuerimus Phaedrum parva inventionis felicitate esse praeditum id quod facile est ad intellegendum; nam inter epitheta quibus animalium nomina eleganter ornavit vix quidquam invenies quod ingeniose novaverit. adhibuit deinde translationes verborum et adiectiva ornantia diu contrita, quin etiam nonnulla adiectiva descriptiva quibusque summus inest nitor e certorum poetarum sermone sumpta sunt. tum omnes omnino voces et locutiones quarum poeticum colorem laudaveris iam apud priores poetas inveniuntur. quid dicam de iis versibus in quibus etiam apertior est poetarum illorum imitatio?

Primum sermonis simplicitatem admirati sumus et eam esse postulandam ostendimus, vidimus deinde Phaedrum haud raro etiam esse secutum poetarum sermonem. itaque **Phaedri stilus non est unus atque purus, sed mixtus**, ita ut eum in eorum scriptorum orationis prosae numero potius habendum esse arbitremur qui colores poeticos quasi lumina imposuerunt sermoni. quam sententiam inspectis nonnullis defendemus fabulis.

ante oculos quaeso ponas fabulam primam libri primi:

ad rivum eundem lupus et agnus venerant
siti compulsi; superior stabat lupus
longeque inferior agnus. tunc fauce improba
latro incitatus iurgii causam intulit;
cur inquit turbulentam fecisti mihi
aquam bibenti? laniger contra timens:
qui possum quaeso facere quod quereris lupe?
a te decurrit ad meos haustus liquor.
repulsus ille veritatis viribus:
ante hos sex menses male ait dixisti mihi.
respondit agnus: equidem natus non eram.
pater hercle tuus ibi inquit maledixit mihi.
atque ita correptum lacerat iniusta nece.
haec propter illos scripta est homines fabula
qui fictis causis innocentes opprimunt.

credideris te legere orationem prosam versibus conceptam, ex qua tamen pauca elucent; dixit enim fauce improba incitatus pro fame incitatus; lupum appellat latronem varietatis causa ut ovem lanigerum; turbulentam fecisti dixit pro turbavisti; brevitatis causa omisit semel inquit; ad meos haustus dixit pro ad me bibentem; admiranda sane est brevitas versus: *atque ita correptum lacerat iniusta nece.*

properemus ad fabulam octavam libri primi:

qui pretium meriti ab improbis desiderat
bis peccat; primum quoniam indignos adiuvat,
impune abire deinde quia iam non potest.
os devoratum fauce cum haereret lupi
magno dolore victus coepit singulos
illicere pretio ut illud extraherent malum.
tandem persuasa est iure iurando gruis,
gulaeque credens colli longitudinem
periculosam fecit medicinam lupo.
pro quo cum pactum flagitaret praemium
ingrata es inquit, ore quae nostro caput
incolume abstuleris et mercedem postules.

facile hi versus relaxari possunt in orationem prosam; nam ex orationis simplicitate unus tantum versus assurgit: *gulaeque credens colli longitudinem.*

ita in omnibus fere fabulis res habet. **illa carmini aptiora atque poetica quae in capite altero enumeravimus, quasi colores atque lumina imposita sunt sermoni**; quod nobis Livii sermonis affert memoriam, simillimus autem est aequalium sermo; Velleius Paterculus, Annaeus Seneca, Curtius Rufus alii orationem prosam poeticis coloribus ornant. ita Phaedri quoque sermo notabilis est, cuius fundamentum est oratio prosa, sed quae eo ornamento utitur quod illis temporibus conveniebat, coloribus scilicet poeticis, neque differentia est nisi quod illi erant scriptores solutae orationis, Phaedrus autem verba inclusit versibus.

IV.

DE VOCIBUS AC LOCUTIONIBUS QUAE RARO INVENIUNTUR APUD ALIOS SCRIPTORES.

Nonnullae voces atque compositiones verborum quas Phaedrus adhibet ante eum in litteris raro comparent. huc referenda sunt **pauca animalium quorundam nomina** velut **graculus** 1, 3, 4; **scrofa** app. 17, 1; **grilli, scarabaei, locustae** app. 30, 7; deinde **haec vocabula obscena: corpus** pro testiculis 3, 11, 3; **veretrum** 4, 14, 1; **merda** 4, 18, 25 aliaque eius generis quae apud Catullum similesque scriptores occurrunt velut **culus** 4, 18, 36; **naturae partes** 4, 15, 5; **cunnus** app. 3, 3. quis miretur haec vocabula non saepius inveniri in litteris?

praeterea Phaedrus nonnullas voces adhibet significatione quadam quae rarius occurrit; dico haec nomina substantiva:

Attici pro Atheniensibus 2 epil. 1 et 3, 14, 1.[1])

collum de lagona 1, 26, 10 dixit velut Cato *amphorarum defracto collo puram impleto aquae purae* r. r. 88, 1; et Plinius *collum lagonae* 28 h. n. 174; idem *colla fictilia* 17 h. n. 161. huc referri potest etiam illud Martialis *amphorae cervix* 12, 32, 14 et Petronii 34 *amphorarum cervices.*[2])

[1]) cf. Nipperdey ad Cornelii Nepotis Thras. 3, 1: Attici wird sonst in guter Prosa in Bezug auf Sprache, Charakter, Sitte, Bildung u. dgl. gesagt; in politischer Hinsicht Athenienses; in dieser Bedeutung hat es Nepos noch Timoth. 2, 2. Ep. 6, 1 addas Ciceronis Brut. 224 *veteres Atticorum comoediae.*

[2]) cf. quod adnotavit Birt ad Vergilii Catal. 12, 8.

genus pro genere scribendi 2 prol. 1

exemplis continetur Aesopi genus;

Schefferus hunc versum ita interpretatus est: genus = genus mortalium) continetur (= continetur in officio, coercetur, docetur) exemplis (= fabulis) Aesopi. sed *genus* pro genere humano inauditum est, nam semper aliquid addi solet ut *hominum*, *humanum*, *mortale*, *mortalium*, aut e verbis quae antecedunt simile quid cogitatione suppleri potest. praeterea si Schefferi interpretatio recta esset: homines docentur fabulis Aesopi, nonne hoc idem esset ac versus alter *nec aliud quidquam per fabellas quaeritur, quam corrigatur error ut mortalium?* non sum primus qui alteri interpretationi faveat quae ratione postulatur: Aesopi genus (=τὸ γένος τὸ Αἰσώπειον) continetur fabulis i. e. continet fabulas, se continet intra fines generis fabularum; quae significatio vocis *contineri* apud Ciceronem et alios obtinet. — Phaedrus ipse hanc vocem genus iterum absolute adhibet 4 prol. 13 *usus vetusto genere sed rebus novis;* Cicero aliquid addere solet: *scribendi* ad Att. 12, 40, 2; *orationis* orat. 96 similiaque plura; sed apud eundem scriptum videmus *omnino in illud genus eum Crassi magnificum atque praeclarum natura ipsa ducebat*, de orat. 2, 89.

margo 4, 9, 4 de structura quae claudit puteum; similia inveniuntur de ripis fluviorum velut apud Varronem r. r. 3, 5 *flumen quod per villam fluit* . . . *marginibus lapideis;* apud Ovidium *in margine ripae procubuit* met. 1, 729; de fontibus apud Ovidium met. 3, 161; de mari apud Statii Theb. 3, 407; de stagno apud Lucan. 9, 353. cur non de puteo?

raro occurrunt apud priores scriptores haec nomina adiectiva:

pelagius 4, 23, 7

comosus 5, 8, 2

coniugalis app. 14, 10.

haec verba ante Phaedrum non sunt usu recepta neque nisi rarissime leguntur:

attestari 1, 10, 3

lucubrare app. 13, 13

baiulare 4, 1, 5

persalutare 4, 12, 4
praegustare 4, 24, 4.
quis porro miretur verba:
cacare 4, 18, 25
concacare 4, 18, 11
ventrem continere 4, 19, 32 raro exstare in litteris?

nonnulla verba ea significatione qua Phaedrus ea adhibuit non inter usitata sunt referenda, dico **verba:**

revocare 1, 26, 7 pro rursum invitare, Graecorum ἀντικαλεῖν, apud Ciceronem tantum inveni in orat. pro Rosc. Am. paragr. 18 *domum suam istum non fere quisquam vocabat; nec mirum, qui neque in urbe viveret neque revocaturus esset;* cf. Lactantium 6, 12 *idem deus praecepit ut si quando cenam paraverimus eos in convictum adhibeamus qui revocare non possint et vicem reddere.*

sequi 1, 5, 9: *me sequetur tertia pars* i. e. mea erit sine ullo labore; similia occurrunt in m o n u m e n t i s ubi scriptum videmus H. M. H. N. S. i. e. hoc monumentum heredem non sequitur; inde Horatius dixit *heredes monumentum ne sequeretur* 1 sat. 8, 13; simili sane modo Sallustius *ubi malos praemia sequuntur* frg. 1 hist. et Velleius Paterculus *Codrum aeterna gloria, Athenienses secuta victoria est* 1, 2; denique Curtius Rufus *omnia sequuntur armatos* 5, 1.

excipere pro sequi 2, 8, 10: *spatium diei noctis excipiunt vices* pro nox sequitur diem vel vesperascit dies; ita Cicero *cuius [Herculis] corpore ambusto vitam eius et virtutem immortalitas excepisse dicatur* pro Sest. 143 et Livius *tristem hiemem gravis pestilensque aestas excepit* 5, 13; postea Plinius *violis succedit rosa . . . rosam cyanus excipit* h. n. 21, 68.

Transeo ad nonnullas compositiones verborum minus usitatas attamen non inauditas velut:

effundere sarcinam 3, 15, 6; ita Cicero *quae te beluam ex utero non hominem fudit* Pis. frg. 5; idem translatione hinc petita *quae [terra] gravidata seminibus omnia pariat et fundat ex sese* de nat. deor. 2, 83; cf. ibid. 2, 156 et 2, 129; Vergilius *quem candida Maia Cyllenae gelido conceptum vertice fudit;* Servius adnotavit ad hunc locum: *celeritatem parientis ostendit, quod infantibus dicitur omen felicitatis adferre.* denique Iuvenalis dixit *sed tua nunc Mycale pariat licet et pueros tres in gremium patris fundat semel* 5, 143.

sed ne *effundere* quidem sine exemplo est; Seneca enim dixit *animalia e materno utero . . effusa* epist. 121, 18 et Iuvenalis *cum tot abortivis fecundam Julia vulvam solveret et patruo similes effunderet offas* 2, 32; cf. etiam Quintil. decl. maior. 6, 10 et Apul. met. 5.

vocem praecludit metus 1, 2, 26; similia apud Plautum Cas. 653 *timor praepedit dicta linguae;* ibid. 704 *timor praepedit verba;* apud Terentium Eun. 977 *lingua haeret metu;* apud Vergilium *vox faucibus haesit* Aeneid. 3, 48; apud Livium *quamquam vel inimicissimis praeclusisse vocem videtur* 33, 13; denique apud Ovidium *linguae meae praecluditur usus* 2 met. 658. Phaedrus ipse hanc locutionem iterum adhibet 1, 23, 5 *linguam vis meam praecludere.* confer etiam Sophoclis versum λέγοιτ' ἂν εἰ μὴ γλῶσσαν ἐγκλείσοι φόβος Antig. 511.

culpae esse proximum 1, 10, 5[8]); similia apud Terentium *a me culpa est procul* Ad. 348; apud Valerium Maximum *propior publicae religioni quam privatae caritati* 1, 1, 10; apud Valerium Flaccum *at quibus invito maduerunt sanguine dextrae si fors saeva tulit miseros, si proxima culpae* 3, 301; confer etiam Ammianum 27, 10, 11 *cui periculo adeo proximus fuit ut . . ,* maxime Tertullianum de Pallio 4 *culpae prope est;* huc referenda est etiam locutio affinem esse alicui rei quam Cicero saepe adhibet de invent. 2, 32; 2, 129; Catil. 4, 6; compara praeterea Plautum Trin. 79 *culpam ab se segregare,* Ovidium trist. 1, 2, 98 *a culpa facinus scitis abesse mea,* Sophoclem Trach. 257 ἀγχιστῆρα τοῦδε τοῦ πάθους.

aliquid rapere ad se 3 prol. 46 urbana videtur esse locutio quam adhibet Cicero quoque de off. 1, 9 *utilitas ad se rapere, honestas contra revocare ad se videtur* et de off. 2. 10 *totos ad se convertit et rapit [admiratio].*

facere corpus 3, 7, 2; contrarium est corpus amittere; Graeci dicunt σωματοποιεῖν; ita Celsus quoque de med. 7, 3 *potionesque corpori faciundo aptae.* hac significatione corpus occurrit etiam apud Ovidium 3. heroid. 141 *abiit corpus colorque* et apud Claudianum in Eutrop. 2, 380 *abundans corporis.*

---

[8]) in libris legitur *proximam* (P) vel *obnoxiam* (N) vel *noxiam* (R); Havetus adnotavit ad hunc locum: fuerat puto in archetypo *culpae pnoxiam,* incohata iterum syllaba pae. quod non verisimile est; lectio libri P satis defendi potest optimis auctoribus.

V.

DE VOCIBUS LOCUTIONIBUSQUE QUAE APUD PHAEDRUM PRIMUM OCCURRERE VIDENTUR.

Phaedrus ut alii scriptores nonnulla adhibet singularia quae apud ceteros auctores non inveniuntur; sed a veritate prorsus aberrant qui omnia Phaedri singularia parum latine dicta esse existimant; relinquamus Phaedro singularia sua neque supponamus vocabula usitata, quia hinc vel inde rarioris locutionis exemplum protrahi aut repertis novis Phaedri codicibus status rerum facile mutari potest.

a) Apud Phaedrum primum apparent adhibitae hae voces:
alapa 2, 5, 25 et 5, 3, 2
ardalio 2, 5, 1
derisus 1, 11, 2; 5, 7, 3
consiliator 2, 6, 2
terraneola app. 30, 1.[1])

secundum leges linguae Latinae formata sunt haec feminina:
potrix 4, 5, 25; potor invenitur apud Horatium carm. 2, 20, 20; 1 epist. 19, 2, apud Propertium alios; Terentius Andria 232 et multo post Sidonius 2 ep. 9 adhibent vocem compotrix.
insidiatrix, app. 27, 4; Ammianus adhibet hanc vocem adiectivorum modo 27, 10, 11; 24, 4, 29.

Haec adiectiva nomina apud Phaedrum primum leguntur; vulpinus 1, 28, 3; a vulpe recte derivatum; apud Plinium scriptum videmus *vulpinam linguam habentes* n. h. 28, 172 et *vulpinum iecur* 28, 197 et *vulpinus sanguis* 32, 44.

[1]) cf. Ulbricht de animalium nominibus Aesopeis, diss. Marb. 1908 pag. 29 sqq.

auritulus 1, 11, 6; in libris P et D est auriculus, in R auriculas. auriculae deminutive pro auribus positum hoc loco sensu caret; Rigaltius igitur recte: auritulus; quod est deminutivum participii auritus; quae vox auritus invenitur apud Vergil. georg. 1, 308 de leporibus; cf. Horat. od. 1, 12, 11 *auritas fidibus canoris ducere quercus;* ita Plautus in Asin. prol. v. 4: *facere nunc iam tu praeco omnem auritum poplum;* auritus de asino positum est apud Ovid. am. 2, 7, 15 *ut auritus miserandae sortis asellus.* cum deminutivo auritulus Schwabius recte comparavit alia adiectiva ut barbatulus, nasutulus, eruditulus similiaque plura.

alticinctus 2, 5, 11; cf. Graecorum ὑψίζωνος; receptum erat alte cinctus apud Horat. sat. 2, 8, 10 et Senec. epist. 92, 35; cf. altius cinctus apud Horatium et Petronium. non est vero cur corrigamus libros; similia enim adiectiva nobis probant formam alticinctus, ut altisonus et altitonans.

nocivus 1, 29, 3; librorum lectionem viri docti delent; sed vindicatur satis loco Plin. h. n. 20, 2 *pecori praecipue nociva.*

Inusitata sunt haec adverbia:

irate 4, 26, 14

fracte app. 8, 2.

Unum verbum nusquam alibi recurrit: degrunnire 5, 7, 24; sed est recte formatum.

b) Nonnullas voces Phaedrus ea notione usurpat qua ante eum non reperiuntur; dico

haec nomina substantiva:

improbitas 1, 5, 11 pro aviditate vel insatiabilitate, ut Phaedrus saepe dixit improbus pro insatiabilis. cf. praeterea Plin. h. n. 29, 28 *Homero fastidio non fuit inter proelia deorum improbitatem muscae describere* et h. n. 19, 126 *improbitas alitum depascentium semina.*

res pro fabula; 1, 13, 13 *hac re probatur quantum ingenium valet.* 1, 27, 1 *haec res avaris esse conveniens potest.*

Artes quasi personae pro Musis 3 prol. 19. multo post Martianus Capella scripsit *puellae quam plures, quarum Artes aliae, alterae dictae sunt Disciplinae subinde quae virgo effuderat colligebant* 2, 138.[2])

cirri 2, 5, 13 translate pro fimbriis, filamentis.

contubernium 2, 4, 4 de militum convictu latiore sensu transtulit ad domicilium bestiarum, ut dixit sedes de bestiarum domiciliis 1, 3, 13; cf. Plin. h. n. 11, 26 *si speratur longior proventus, adiciuntur contubernia fucis* et Apul. met. 9, 13 *de meo (i. e. asini) iumentario contubernio quid . . . memorem?*

cortex pro testa de testudine 2, 6, 12; postea apud Plin. h. n. 9, 40; 11, 228 saepius; cf. etiam Lucret. 4, 935 *fere res omnes aut corio sunt . . . . aut cortice tectae.*

coetus 3 prol. 23 absolute pro poetarum coetu nusquam alibi recurrit.

haec nomina adiectiva:

necopinus 1, 9, 6 significatione activa pro necopinans; postea apud Stat. silv. 1, 3, 53 et Ausonium grat. act. ad Grat. 12.

contumax de inanima quadam re 4, 8, 5

gemmeus de cauda pavonis 3, 18, 7

litteratus i. e. litteris clarus; de quibus adiectivis iam supra disputavimus.

non ante Phaedrum inveni haec verba novum significatum offerentia :

recolere 1, 18, 1 pro rursus habitare, denuo venire ad.

dedicare librum 3 prol. 30[3])

extundere 1, 21, 9: *calcibus frontem extudit;* translate obvium quidum est hoc verbum apud optimos srciptores.

---

[2]) Birtius mihi adnotavit ad hunc dissertationis locum: fortasse igitur Varro hac in re praeiverat; nam Martianum Varronis Menippeas imitatum esse verisimile est.

[3]) cf. Rud. Graefenhain de more libros dedicandi, dissert. Marb. 1892.

d) denique nonnullas enumero locutiones compositas quae Phaedri propriae atque singulares videntur esse:

repulsam sentire 1, 3, 16; repulsa coniungi solet cum verbis ferre, referre, accipere, pati.

fugere de conspectu 1, 16, 6; receptum erat fugere conspectum; sed ratio certe nulla adversatur quae non patiatur dicere fugere de conspectu velut Martialis scripsit 9, 88 *aper fugit de cavea* et multo post Augustinus civ. 22, 8 *de conspectu populi abire.*

onus naturae deponere 1, 18, 5; verborum continuatio est haec:

instante partu mulier actis mensibus
humi iacebat flebiles gemitus ciens.
vir est hortatus corpus lecto reciperet
onus naturae melius quo deponeret.

onus naturae deponere idem valet ac fetum deponere; ut enim Ovidius dixit *onus uteri* her. 11, 64 et *onus gravidi ventris* 2 am. 13, 1, ita Phaedrus onus naturae, i. e. uteri, quae interpretatio firmatur loco Ciceronis de div. 2, 70 *parere quaedam matrona cupiens, dubitans essetne praegnans, visa est in quiete obsignatam habere naturam,* i. e. uterum, αἰδοῖον; natura pro genitalibus non inusitatum est, ut lexica docent.
nisi hanc mavis sequi interpretationem, altera est etiam simplicior; onus naturae explicari potest per onus a natura impositum compararique possunt e Phaedro ipso huius rei exempla: 5, 5, 33 *pervellit aurem vero quem celaverat et cum dolore vocem naturae exprimit;* app. 9, 11 *tum denique illa fassa est naturae malum*; app. 20, 5 *in terram abripiens excutit praedam maris* similiaque plura. errat qui ut Müllerus huc referre velit naturae partes 4, 16, 5 quibus scilicet significantur genitalia. quia praeterea omnes consentiunt libri, non est cur scribamus una cum Heinsio, quem multi viri docti secuti sunt, onus maturum; quae locutio est quidem nota poetis, id quod non negamus; sed hoc nos cogere non potest ut Phaedro sua demamus verba quae non absurde dicta sunt.

premente partu app. 17, 1; cf. 1, 18, 1 instante partu; similis locutionis non inveni exemplum. in N et V legitur tremente partu, quod rem oculis non ita subicit ut premente partu, quae lectio firmatur Romulo.

vagitus cieo app. 3, 12; occurrunt compositiones verborum vagitus dare et edere; sed ut Phaedrus ipse 1, 18, 3 et 4, 24, 1 *gemitus cieo,* ut Vergilius adhibuit *fletus cieo* Aeneid. 3, 344 et *gemitus cieo* georg. 3, 517[4]), ita Phaedro licuit dicere *vagitus cieo.*

famam trahere app. 8, 3; compara *cognomen trahere ex aliqua re* Cicer. Phil. 3, 16; *nomen trahere ab* Ovid. met. 4, 291; 8, 230; *appellationes trahere a nomine alicuius* Curt. 4, 8, 2; *legio Martia quae mihi videtur divinitus ab eo deo traxisse nomen* Cicer. Phil. 4, 5.

soluto pectore[5]) 3 prol. 8, insolens est locutio, qua frequentior est animo soluto; compara tamen Tibull. 1, 7, 40 *pectora tristitiae dissoluenda dedit.*

poenas oppetere 3, 16, 2; cf. mortem vel letum et pestem oppetere.

apertum pignus 5, 5, 37 i. e. manifestum et certum argumentum; occurrit *certum pignus* apud Ovidium aliquoties; Cicero dixit *magna et multa pignora* Phil. 13, 8.

curatio venit ad sanitatem 5, 7, 12 est prorsus insolitum; fortasse comparari potest versus Propertii 3, 24, 18 *vulnera ad sanum nunc coiere mea.*

aevum ducere 1, 31, 7 apud Senecam tantum inveni Phaedr. 452 *aevum per suos duxit gradus;* Horatius semel dixit *aevum traducere* epist. 1, 18, 97.

reddere tempora alicui 3 prol. 12; et **vacare alicui** 3 prol. 12 i. e. *fabulari cum aliquo* vix invenies apud alios scriptores; compara tamen Ovidii *dare tempora studiis* ex Pont. 2, 9, 50.

animus est abire 3, 7, 25; **potare est animus** 3, 16, 13; **mihi mens est facere aliquid** 3 prol. 49 e sermone cottidiano assumpta esse videntur.

---

4) cf. *tinnitus cieo* (Verg. georg. 4, 64), *murmur* (Verg. georg. 1, 110), *mugitus* (Verg. Aen. 12, 104), *flebiles questus* (Senec. Phoen. 387).

5) in libris P et R[1] legitur *solito pectore* quod aptum sensum non praebet.

mendacium limare 3, 10, 49 pro detegere, scrutari; quae lectio multis est suspecta;[6]) sed ut Cicero dixit *veritas ipsa limatur in disputatione* de off. 2, 35, ita licuit Phaedro dicere *mendacium limare.*

facere partes facinoris app. 16, 5; accedit proxime Ciceronis locutio *partes agere* Mur. 3, 6.

cum libitum est 3, 15, 4 quod Schwabius recte vertisse videtur: wenn sie ihren tierischen Trieb befriedigt hat. spectat nimirum illud libitum ad libidinem coitus, quae interpretatio elucet e Phaedri versibus.

fauce improba incitatus 1, 1, 3; in libris legitur face P, fauce R. face improba incitatus, i. e. ira vel desiderio improbo incitatus. ita fax occurrit pro stimulo apud Val. Max. 7, 3, 10 *amantissimus quidam filii, cum eum inconcessis ac periculosis facibus accensum ab insana cupiditate inhibere vellet;* pro ira apud Pallad. r. r. 8, 4, 15 *ut facem libidinis augeat dilatio voluptatis.* Burmannus pro rabie ventris capi posse putat afferens Senec. Thyest. 170 *qua cum percaluit sanguis et igneis exarsit facibus.*
sed melior est altera lectio fauce; fauce improba incitatus i. e. ut Schwabius recte explicavit *magna et insatiabili vorandi cupiditate stimulatus.* Bentleius postulaverat *cum incitatus dixeris, intellegas oportet affectu aliquo vel appetitu* et sane nonnulla huius significationis exempla nobis praesto sunt ex optimis scriptoribus; apud Vergilium scriptum videmus

ille (lupus) asper et improbus ira
saevit in absentes; collecta fatigat edendi
ex longo rabies et siccae sanguine fauces; Aen. 9, 62.

ita etiam Horatius *pocula arente fauce trahere* epod. 14, 4. sunt qui iungant: fauce improba intulit causam iurgii, ita ut fauce sit idem ac voce vel ore. sed quid tum illud incitatus? respondent: incitatus est lupus propter gradum citum aut incitatus est idem atque impetu incitato. sed fauce pro ore locum non

[6]) cf. Lachmannum ad Lucret. 3, 11.

habet; fauces interdum sunt via vocis, nusquam vox ipsa. itaque haec sententia qua vocabula falso coniunguntur repudianda est.
ut Caesar dixit b. c. 3, 24, 2 *incitatus omni celeritate et studio* et Cicero de senect. 12 *maxima incitatus voluptate corporis*; de off. 1, 23 *aut ira aut aliqua perturbatione incitatus*; 2 leg. 56 *odio incitatus*, ita Phaedrus *fauce improba incitatus*, ubi fauce idem fere est quod fame; sed non opus est fame cum Rittershusio et Bentleio in textum recipere, quia fame si scriptum fuisset, tam perspicuam lectionem nullus mutavisset librarius. non damno hanc lectionem *fauce improba incitatus*, non novi tamen exemplum similis locutionis.

inexplicabile videtur Burmanno **iugum flagello temperare** 3, 6, 6, quia iugum nullo moderamine eget; itaque cum hac locutione non convenit Horatii carm. 1, 8, 6 *ora frenis temperare*; neque iugum capi potest de iugatis mulis, quia unus tantum mulus in fabula commemoratur. propterea Schwabius explicavit: qui iugum meum flagello, temperat i. e. qui me quae iugum gero flagello temperat. sed confitetur ipse „insolentioris huius locutionis exemplum desiderari". Burmannus qui commendaverat tergum flagello temperat meum, postea sententiam mutavit adnotans: „an aliquis ex veteribus dixerit temperare flagello tergum pro impellere equum vel mulam ut celerius eat nescio." sed illa Burmanni coniectura probabilis est quia hic versus

tergum flagello temperat lento meum

optime respondet illi

et ora frenis continet spumantibus.

attamen quia et huius coniecturae et librorum lectionis exemplum desideratur, sequimur libros.

fatale exitium 2 epil. 18; ita libri; sed exitium semper notat mortem sive perniciem, quod ad sensum huius loci non quadrat. multas igitur temptaverunt coniecturas viri docti, ex quibus probabiles sunt Bentlei eventum et Gruneri exilium. sed hic locus sanari non posse videtur.

de locutionibus **semisomno corde, tacito corde, durato corde,** quae apud ceteros scriptores non inveniuntur, disputavimus supra pag. 20.

ex vocibus Graecis permultis quas Phaedrus in sermonem intexuit[7]) inusitatae fuisse videntur ante Phaedrum:

antidotum 1, 14, 3
strophae pro fallacia fraudulenta 1, 14, 4
pera 4, 10, 1
tribas 4, 15, 1
pycta 4, 25, 4.

---

[7]) cf. Causereti dissert. pag. 33—35, ubi viginti sex vocabula Graeca enumerata sunt.

VI.

DE NONNULLIS DICENDI PROPRIETATIBUS.

a) **Phaedrus persaepe abstractis usus est pro concretis,** id quod sermonem reddit ieiunum atque humilem. hanc formam loquendi inveniri in illis sententiis quae ante vel post fabulam ipsam leguntur non miramur, quia hae sententiae a fabularum poetis universe et philosophica ratione enuntiantur. ita apud Phaedrum scriptum videmus:

hac re probatur quantum ingenium valet
virtute semper praevalet sapientia 1, 13.
hoc pertinere vere ad illos dixerim
quorum stultitia quaestus impudentiae est 1 14;[1])
quamvis sublimes debent humiles metuere
vindicta docili quia patet sollertiae 1, 28;
verum est aviditas dives et pauper pudor 2, 1;
quantum homo bilinguis saepe concinnet mali
documentum habere stulta credulitas potest 2, 4;
si vero accessit consiliator maleficus
vis et nequitia quidquid oppugnant ruit 2, 6;
hoc argumento tuta est hominum tenuitas;
magno periclo sunt opes obnoxiae 2, 7;
delusa ne spes ad querelam reccidat 3, 18;
ad perniciem solet agi sinceritas 4, 13;
ita nunc libido pravo fruitur gaudio 4, 16;
ad derisum stulta levitas ducitur 5, 7;
atrocitati mansuetudo est remedium app. 10.

Sed enim hoc genus loquendi non solum occurrit in fabularum sententiis, verum etiam in librorum prologis et epilogis et in omnibus carminibus in quibus poeta de se ipso narrat; haec affero exempla:

nec aliud quidquam per fabellas quaeritur
quam corrigatur error ut mortalium

---

[1]) ita recte Pithou proposuit.

acuatque sese diligens industria 2 prol;
omnem querelam submovet felicitas 2 epil;
servitus obnoxia
quia quae volebat non audebat dicere
affectus proprios in fabellas transtulit
calumniamque fictis elusit iocis 3 prol;
quo iudicare cogitet livor modo 4, 21;
hunc [libellum] obtrectare si volet malignitas 4 prol;
nequitia pariter laudat et frugalitas app. 31, 2;
consulto involvit veritatem antiquitas app. 5, 17.

Sed etiam in fabulis ipsis abstracta pro concretis saepius quam bona ratio admittit posita sunt; neque nos primi hanc rem castigamus, quae improbatur ab omnibus viris doctis qui observando Phaedri sermoni operam dederunt. quamquam vel aureae aetatis scriptores ab eiusmodi loquendi formulis non plane abhorruerunt, tamen Phaedrus in iis admittendis nimius erat.

substantivum abstractum coniunctum est cum adiectivo concreto:

procax libertas civitatem miscuit 1, 2, 2;
sed spes fefellit impudentem audaciam 3, 5, 9;
sed ne religio peccet imprudeus mea 3, 13, 8;
plus vetustati favet
invidia mordax quam bonis praesentibus 5 prol.;
sollers acumen mille causas invenit app. 13, 20.

substantivum abstractum coniunctum est cum pronomine, inprimis possessivo:

nec hanc repulsam tua sentiret calamitas 1, 3, 16;
ista nunc me iubet benignitas
vigilare 1, 23, 7;
quae pars debetur tuae modestiae 2, 1, 8;
frustra adiuvare bonitas nitetur tua 3 epil. 17;
ne sceptrum mundi raperet nostra audacia app. 2, 11.

substantivum abstractum coniunctum est cum genetivo substantivi pro substantivo concreto coniuncto cum adiectivo:
gulaeque credens colli longitudinem 1, 8, 8.
Phaedrus ipse hunc imitatus est versum:
traxitque ad terram nasi longitudinem app. 3, 16;
tum demum ingemuit corvi deceptus stupor 1, 13, 12;
[cum] celeritate pennae vitassent necem 1, 31, 4;

crurumque nimiam tenuitatem vituperat 1, 12, 6;
dictorum sensus ut delectet varietas 2 prol. 10;
ambitio namque dissidens mortalium
aut gratiae subscribit aut . . 3, 10, 56;
destringit quem multarum rerum varietas 3 epil. 3;
consumet temporis dilatio 3 epil. 12;
tanta bonitas est aquae 4, 9, 8;
quem tibiarum macerat iucunditas
opsoniorum pretia cui gemitum exprimunt 4, 21, 21;
viae labores teneros ne laedant pedes app. 14, 4;
quodsi perfidiae se commisisset lupi app. 17, 7.

substantivum abstractum positum est pro adiectivo cui addas homo, ille vel similia:
frenumque solvit pristinum licentia 1, 2, 3.
verum decepta aviditas 1, 4, 5.
sic totam praedam sola improbitas abstulit 1, 5, 11.
cedo invidiae 3, 9, 4.
ferro incubuit quod credulitas strinxerat 3, 10, 33.
per quem [ignem] verendos excolit pietas deos 4, 11, 10.
naturae partes veste quas celat pudor 4, 16, 5; cf. 4, 25, 15.
labare coepit paenitentia 4, 14, 6.
oro ut imprudentiae (= mihi imprudenti) des primum veniam 4, 20, 5.
quacumque summa tradet luxuriae domum 4, 5, 44.[1])

substantivum abstractum positum est pro substantivo concreto: vitam monēre 1 prol. 4 pro homines monere. caelum vituperare et caelum fatigare 4, 6 et 4, 21. dulces perficit aequalitatis inter plausus nuptias app. 14, 28.

b) De adiectivis.

1) iam ante Phaedri tempora multa vocabula adiectiva absolute usitata fuerunt quorum numerum auget ille licentius. recepta fuerunt haec adiectiva:
innocentes 1, 1, 15; indigni 1, 8, 2; ignoti 1, 11, 2; pauperes 1, 15, 2; mortales 1, 20, 2; 5, 5, 1; nati 1, 24, 4; 2, 4, 13; app. 6, 9; locupletes 1, 27, 2; humiles 1, 28, 1; 1, 30, 1; stulti 1, 29, 1; potentes 1, 30, 1; 2, 6, 1; rustici 2, 8, 12;

[1]) luxuriae est dativus casus=luxuriosis hominibus; nisi malis coniungere domum luxuriae, quod tamen minus aptum esse mihi videtur quia verbum tradere postulat dativum casum; ceterum etiam domus luxuriae abstracte positum esset pro domo luxuriosa.

app. 30, 1; meliores 2 epil. 17; agrestes 3, 2, 3; posteri 3 prol. 22; formosi 3, 4, 6; priores 4, 21, 16; antiqui 5, 8, 7; impii app. 6, 13; mali app. 6, 15; inermes app. 24, 5.

non ante Phaedrum inveniuntur: mendaces 1, 17, 1; sublimes 1, 28, 1; simplices 3, 10, 54.

2) **saepius quam apud alios scriptores in Phaedri fabulis inveniuntur genetivus dativus ablativus casus:**
venantum 1, 12, 7; mortalium 2 prol. 3; 3, 10, 56; improborum 2, 3, 7; noxiorum 3 epil. 31; superûm 5, 6, 5; caelitum app. 14, 33 —

notis 1, 11, 2; ignavis 1, 21, 2; imprudentibus 1, 22, 12; stultis 1, 23, 1; app. 20, 7; peritis 1, 23, 2; avaris 1, 27, 1; modestis 2 prol. 15; cupidis 2 prol. 14; posteris 4, 5, 2; malis 4, 12, 7; 4, 20, 1; improbis 4, 19, 6; superis app. 6, 8; miseris app. 6, 11; subdolis app. 6, 13; fortibus app. 24, 5 —

ab improbis 1, 8, 1; a despectis 3, 2, 1; a superis 4, 26, 3; per superos app. 26, 3.

3) **ut apud alios scriptores, ita etiam apud Phaedrum singularis numerus rarius absolute ponitur**; haec enumero exempla: laniger[1]) 1, 1, 6; virtutis expers 1, 11, 1; ferus, 1, 12, 9; 1, 21, 8 et saepius; bidens[1]) 1, 17, 8; inops 1, 24, 1; sonipes[1]) 4, 3, 3; bonus 4, 11, 21; rusticus 5, 5, 22 et 29; app. 10, 9; app. 26, 5; maleficus 4, 11, 20; app. 17, 5. apud ceteros scriptores non inveniuntur ni fallor: potens 1, 5, 1; 1, 24, 1; repente liberalis 1, 23, 1; usu peritus 3, 3, 1; calvus 5, 3, 1; 5, 6, 1.

4) **nonnunquam adiectivum vel participium pro nomine substantivo positum videtur esse; sed facile e sermonis contextu substantivum nomen suppleri potest**; exempli causa in verbis 1, 2, 25 *corripere coepit singulas* supplendum est *ranas*; ita praeterea interpretandos esse puto hos locos: 1, 22, 9 improbam [mustelam]; 2, 2, 10 canos et nigros [capillos]; 2, 3, 2, malefico [cani]; 2, 4, 17 dolosa [feles]; 3, 10, 36 insontem [mulierem]; 3, 19, 22 occupato [seni]; 3, epil. 23 innocenti [reo]; 4, 5, 23 lanificae [filiae]; 4, 16, 12 virginale [membrum]; app. 13, 21 viduam [feminam]; app. 14, 2 locuples [iuvenis] et pauper [iuvenis]; app. 14, 6 ditis

---

[1]) cf. Ulbricht de animal. nom. Aesop. pag. 33—42.

[iuvenis]; 1, 11, 6 auritulus [asinus]; 4, 9, 10 barbatus [caper];[8]) app. 20, 6 vafer [ursus].

saepe apponendum est pronomen:
1, 2, 28 adflictis [sibi]; 1, 22, 5 supplici [tibi]; 1, 30, 10 proculcatas [nos]; 3, 16, 10 garrulam [illam]; app. 15, 10 garrulum [eum].

5) singularis numerus generis neutrius:
bonum 1, 2, 29; 3, 1, 5; 5, 4, 12; malum 1, 2, 30; 1, 5, 10; alienum 1, 4, 1; debitum 3 epil. 19; secretum 4, 26, 6; verum app. 15, 14; factum app. 8, 6; 13, 27. insolitum vero est: proprium 1, 4, 1 pro re sua. nonnunquam haec adiectiva coniuncta sunt cum praepositionibus: in secretum 3, 10, 11; in sublime 2, 6, 4; in serum app. 13, 15; in plano 2, 4, 10; ex occulto app. 21, 4; sub divo app. 30, 11.

6) pluralis numerus generis neutrius:
bona 3, 10, 37; app. 5, 9; mala 1, 9, 9; 1, 16, 2 saepius; vera 5, 2, 9; insolita autem sunt: aranea 2, 8, 23 et viridia 2, 5, 14.

7) singularis numerus feminini generis:
nata 3, 17, 11; laurea 3, 17, 3.

Plura horum adiectivorum quibus Phaedrus absolute utitur apparent in fabularum sententiis quod ex ipsa rei natura facilem habet explicatum.

Si adiectiva coniuncta sunt cum pronominibus, non adiectiva, sed pronomina sunt substantiva; ita Phaedrus coniungit adiectiva cum pronomine **ille**: molestus ille 3, 19, 10 similiaque plura; saepissime hoc ille coniunctum cum adiectivo positum est ante orationem rectam:
illa contra contumax 4, 8, 5; illa contra pessima app. 24, 4;
tunc ille insolens 1, 11, 12;
tum maestus ille 4, 4, 10;
at ille lentus 1, 15, 7; at ille supplex 2, 8, 8;
cui placidus ille 2, 1, 7.

etiam cum participiis coniungitur ille:
at illa praemetuens dolum 1, 16, 4; at illa gaudens pecore 4, 5, 43; at ille expirans 1, 21, 10; tunc illa inridens 5, 3, 3; ille indignans 1, 29, 5.

---

[8]) vide quod adnotavit Birt in pag. 42 libelli: Jugendverse und Heimatpoesie Vergils.

coniungitur adiectivum vel participium etiam cum pronomine **quidam**:
cum quodam improbo 3, 11, 1; quidam e turba garrulus 3, 19, 7; quidam dives nobilis 5, 5, 4; quidam senior app. 8, 22; laceratus quidam 2, 3, 1; litterarum quidam studio deditus 4, 23, 19; denique: aliquis prudentior app. 12, 5.

Nonnunquam in uno versu bina aut plura leguntur adiectiva absolute posita, quorum alterum usitatum, alterum minus usitatum erat; ea igitur adiectiva quae minus usitata sunt defenduntur atque excusantur iis quibuscum sunt coniuncta. ita legimus:

haec res avaris esse conveniens potest
et qui humiles nati dici locupletes student 1, 27;
repente liberalis stultis gratus est
verum peritis inritos tendit dolos 1, 23; similiaque plura.

egregium exemplum est in fabula sexta appendicis Perottinae:

pietatem colite; vota superis reddite,
patriam, parentes, natos, castas coniuges
defendite armis, hostem ferro pellite,
amicos sublevate, miseris parcite,
bonis favete, subdolis ite obviam,
delicta vindicate, cohibete impios,
punite turpi thalamos qui violant stupro,
malos cavete, nulli nimium credite.

c) **Phaedrus frequentissime perfectum quod appellatur historicum circumscribit verbo coepisse coniuncto cum infinitivo**; sic dixit *tum misit illis hydrum qui dente aspero corripere coepit singulos* 1, 2, 25; quae constructio apud Petronium quoque innumerabilibus locis observatur; neque abhorret a genere loquendi narrationibus accommodato.

CONCLUSIO.

His absolutis nostra interest oratione perpetua iterare quae de Phaedro iudicavimus.

maximi est momenti in iudicando scriptorum sermone, et quo tempore nati sint et quo loco; itaque hanc primam condicionem ne neglegamus in nostra materia.

quia Phaedrus vixit ea aetate, qua sermo cottidianus magis magisque in deterius labi coepit, nobis non improvisum neque inopinatum est apud eum non paucas locutiones inveniri aut minus receptas aut adeo inauditas; neque miramur quod apud eundem occurrunt imitationes eorum poetarum qui ante eum floruerunt.

idem pro ordine humili in quo collocatus erat cottidiani sermonis peritus fuit; attamen ille, qui vixit tempore cultissimo, non erat ignarus elegantioris sermonis ut libertus Augusti.

ceterum fundamentum Phaedri sermonis esse orationem prosam vidimus, nam plurima vocabula sumpta sunt e pedestrium scriptorum sermone, praecipue ex eis orationis regionibus quae vitantur a poetis ut rusticorum venatorum iudicum civium. quam quidem laudamus sermonis tenuitatem atque mediocritatem quae magis conveniat fabularum generi quam stilus sublimis; non autem negamus hanc Phaedri simplicitatem nonnunquam propinquam esse ieiunitati atque exilitati. porro laudanda sane est dictionis perspicuitas et omissa illa orationis affectatio quae illis temporibus vigebat; attamen aliquoties oratio impedita est verborum ambagibus, ibique obscura et non satis vivida esse dicenda est.

iam vero Phaedri sermo nonnunquam e simplicitate quam postulabat ipsa fabularum natura assurgit ad elegantiam. laudandam inprimis diximus brevitatem et verborum et rerum, quae apte convenit ad fabularum genus. praeterea in numero virtutum habenda est varietas, quam ut assequeretur in eadem fabula verba quae idem significant callide variat atque commutat. porro animalium nominibus apposita addebat ille, in quibus et ipsis laudamus cum varietatem

tum elegantiam. huc referendae sunt etiam translationes verborum quae poetarum propriae sunt. ad stilum elatiorem certe pertinent etiam adiectiva ornantia quae frequentissime inveniuntur in his fabulis. non neglegendae sunt nonnullae voces et compositiones verborum poeticae. denique observatur hanc dictionis elegantiam interdum etiam per totos versus quin etiam fabulas extendi.

quas virtutes sermonis quamquam laudamus, tamen ne silentio praetereamus vitia quae ex ipsis virtutibus exorta sunt; nam nimia brevitate interdum nocuit perspicuitati, varietas illa in primis tantum invenitur libris, appositorum et translationum elegantia aliunde assumpta est, adiectiva ornantia usu trita sunt, denique etiam voces poeticae, quae dispersae sunt inter orationem quasi solutam, apud poetas priores saepissime occurrunt. parva igitur est Phaedrus inventionis felicitate praeditus, immo vero etiam probabititer exposuisse nobis videmur apertam esse poetarum singularium imitationem, comicorum, tragicorum, Publilii Syri, Vergilii, Horatii, Ovidii.

cognovimus ex altera parte Phaedri sermonis fundamentum esse orationem prosam, ex altera Phaedrum multa assumpsisse, ut sermonem ornaret et elegantiorem redderet. itaque Phaedri stilus non unus neque purus est, sed mixtus ut et Livii et ut Phaedri aequalium, qui colores poeticos appingebant orationi prosae; sed Livium hoc decebat, Phaedrum dedecebat, quia hoc loquendi genus non convenit fabularum „per humum repentium“ naturae.

Phaedrus adhibet multas voces et locutiones, quae ante eum usu receptae non sunt, immo vero nonnullas quae apud eum primum occurrere videntur; quod vel inde intellegi potest quia saepenumero res memorat a memoria litterarum alienas, fieri tamen potest ut non paucae hoc loco fortasse falso a me enumeratae sint. insuper quaeritur num haec vocabula a Phaedro ipso re vera sint inventa; utcumque res se habet, non est neglegendum omnes voces quas novavit secundum leges linguae Latinae formatas esse. neque miramur quod nonnullae locutiones simillimae sunt locutionibus aetatis mediae, quia sumptae illae a Phaedro videntur esse ex humiliore praecipue plebis sermone, ex quo ortus est ex parte sermo quoque Latinus aevi medii.

quid denique mirum in scriptore Latinitatis labentis quod tot vocabula Graeca admisit?

porro humilis fit Phaedri sermo eo quod adhibuit saepius abstracta pro concretis; nec tamen male quadrat hic usus et ad sermonis brevitatem et ad fabularum naturam

saepius denique quam apud alios scriptores nomina adiectiva absolute posita sunt; itaque in eorum numero non pauca insolita inveniuntur.

Haec sunt quae mihi gravissima videntur esse et maxime memorabilia in Phaedri sermone. quod meum iudicium si comparas cum aliorum sententiis intelleges hoc me curasse ut aequius de Phaedro iudicare incipiamus.

Vita.

Natus sum Hans von Sassen Remscheidensis Borussus prid. Non. April. a. 1885 in oppido ad Moldam sito quod Düben nominatur patre Otto matre Maria e gente von Eickstedt. Fidem confiteor evangelicam.

Primis litterarum elementis in schola Remscheidensi instructus tres annos frequentavi scholam quam vocant Gewerbeschule. Inde a tertia classe discipulus fui scholae Portensis, a secunda classe gymnasii Friedbergensis.

Maturitatis examine superato a. 1905 Marpurgum me contuli, ubi studiosis litterarum antiquarum adscriptus sum. Postquam duo semestria Marpurgi versatus sum ad universitatem Berolinensem migravi, ubi per duo semestria philologiae operam dedi. Denique ad studia perficienda Marpurgum reverti. Hic ego examen rigorosum superavi a. d. VI. Kal. Mart. a. 1910. Usque ad diem promotionis Monaci versatus sum.

Docuerunt me viri doctissimi Marpurgenses: Birt, Cohen, Elster, Kalbfleisch, Maass, Menzer, Natorp, v. Sybel, Thiele, Thumb, Wrede; Berolinenses: Breysig, Kekule v. Stradonitz, R. M. Meyer, Riehl, Roethe, Er. Schmidt, v. Wilamovitz, Woelfflin, Zimmermann.

Proseminario philologo academiae Marpurgensis per tria, seminario per duo semestria interfui.

Quibus omnibus viris doctis gratias ago debitas, maximas autem Theodoro Birt, qui ad hanc materiam tractandam me invitaverit ac semper et consilio et opera me adiuverit.